



Disputatio juridica inauguralis de nuptiis

<https://hdl.handle.net/1874/343242>

14

J. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
NUPTIIS,

Q U A M,
SUB AUSPICIO NUPTIARUM FUNDATORIS
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinae Anatomes & Botanices Antecessoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicî consensu & Alma
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO DOCTORATUS GRADU,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &
Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Publicè Disputationi subjicit

WILHELM HENRICH HOCHWANDT, Embriacâ Clivensis.

Die 25. Junii, Stylo Juliano, horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiarum
Typographi Ordinarii, clo Ioc Lxxxv.

Generosis nec non Nobilissimis

Viris-Juvenibus

D. D. ARNOLDO
GERHARDO de BEYER

UT ET

D. D. JOANNI
de BEYER,

MAGNI PATRIS, non inferioris
Spei FILII S, Fautoribus suis
addictissimis,

*In perpetuum debitæ gratitudinis, ac
observantiae testimonium hancce
Disputationem Inauguralem.*

Humillime, juxta se ipsum

D. D. C.

WILHELM HENRICH HOCHWANDT.

Auctor.



L. B. S. P.

Laudabile esse Advocati munitus in Republica, quis audet negare? Confirmat id Imperator noster Justinianus in l. 14. C. de advoc. divers. judicior. dicens: *Ambigua fata causarā dirimunt, sua defensionis viribus in rebus publicis & privatis lapsa erigant, fatigata reparant, & non minus prouident humano generi, quam si praelis & vulneribus pariam parentesque salvarent: gloriose vocis munimine confisi, laborantium spem, vitam ac potestarem defendentes.* Quod & illi considerantes & refficientes quorum sub potestate constitutus eram, monita semper eorum eò collimabant, ut summo studio & amore, summâque diligentia, Leges ab Imperat. latas prosequerer, qua & sequutus lubentissime felicissimum etiam in illis (Deo Duce & Adjutore) exitum tandem inveni. Et cum sic exantlatis Juris Candidatorum examinibus à Nobilissimo, Amplissimo Consultissimoque Juris Consultantum alma hujus Universitatis Collegio pro summis injure Honoribus & Privilegiis adipiscendis, licentia conscribendi & habendi Disputationem Inauguralem mihi concederetur, in eligenda aliqua ex toto Juris nostri Oceano, ingenti rerum ac materiarum cognitio dignissimarum copia repleto, diu diversis ac variis cogitationum fluctibus hinc inde agitatus, qua de differtarem materia, tandem illa de Nuptiis placuit. Mirabitur forte non nemo, quid rei sit, cur illa mihi praeceteris arriserit materia, is responsum ferat volo illud Virgilianum:

Trahit sua quemque voluptas.

Ut & quia Titulus de Nuptiis est insignis, nec non questiones & decisiones causarum Matrimonialium in practica cum utiles rum necessarias continet. Tum quia humana consideratione nihil existit dignius, & nihil profecto etiam esse potest, quod intellectus nostri con-

temptationem magis ad se alliciat, quam matrimonium; quod cum ipso humano genere coepit, ipsumque unicum remedium est, quo moralitatis nostrae antiquitati studetur: Plenius atque accuratius ea esse tractanda que cotidiana sunt ac scitu necessaria monet. *J. C. Ulpianus* in l. 1. n. de suspect. tutor. add. l. 25. n. de liberat. legat. Optabile quidem nunc esset sin *J. C.* torum monita sequerer & materiam hanc uitem & recepiam exacte & ex omni parte exponrem; cum vero sepe nimis late diffundat, consuliū arbitratus fui, imprimis per positiones solum & quæstiones quedam ex illa hinc inde desumere, & non maceria dignitatem orationis flore conveстиre, quod alii ante me fusissime feceré, quod neque nobis Academicō Decreto incumbit. Sin delicatis ingenii hisce minus vero satisfecero, hos rogatos velim, temporis brevitati id condonent. Verum ne sine capite ut ajunt fabula narretur, hac præmii loco prælibasse sufficiat. Semper enim mibi persuasum habeo difficile esse omnibus placere, immo ne *Jupiter* quidem omnibus placuit; quapropter vel ipso *Mo-
mo* *Judice*, non quantum ejus dignitas postulat, sed pro meo qua-
licunque modulo, & quantum ingenii patitur tenuitas, hanc expli-
care decrevi. Sed ne illotis quasi manibus hoc opus aggrediar ad
TE ÆTERNE DEUS, sine Quo nihil unquam commode
geriter Nov. 6. in præfat. Et qui res penitus desperatas virtutis
tua magnitudine donare & consumare potes §. 2. de concept. digest.
Unice configio, ardenter contendens ut conatus hosce qualescumque
meos in sanctissimi nominis Tui gloriam atque honorem dirigere, im-
mo amitor & totius operis presul esse velis.

Ad Vos Eminentissimi Viri-Juvenes prudentia & eruditione
Conspicui, ad *Quos* imprimis hujus Disputationis dedicatio spe-
ctat, me converto: Duisburgi quondam in alma, *Serenissimi*
nostri Electoris Brandenburgici, *Academia* studiorum commilito-
tones vigilantissimi, diligentissimi & commensales per biennium
suavissimi, dilectissimi; hoc nostri amoris, quo me semper
amplexi estis, & etiamnum prosequemini, symbolum, ac be-
nevolentiae pignus æqui bonique consulite. Deum T. O. M.
precor, ut vestram familiam, quam diutissimè salvam ac inco-
lumem conservet; & VOBIS nostræ Cliviæ spei Viris-Juveni-
bus felicitatem, beatamque vitam det, & ab omni incommodo
tueatur.

DIS-



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS
DE

N U P T I I S.

Q. B. V. & D.

 Ntequam ad ipsas Nuptias accedamus , prælibanda quædam erunt quæ nuptiis præcedere solent , nimurum Sponsalia . Quocirea non incommode agam si dividam hanc meam Disputationem in duas Sectiones , quarum prima ager de sponsalibus tanquam nuptiarum aliquo præparatorio ; & altera de ipsis nuptiis .

SECTIO PRIMA,
DE
S P O N S A L I B U S.
THESIS I.

 Ponsaliorum usum frequentem fuisse apud Romanos neminem fugere arbitror , iccirco nobis etiam pleniùs aliquid dicendum erit de iis ad meliorem nuptiarum intelligentiam : Et licet istiusmodi sponsalia non sint absolute necessaria , sunt tamen ex ordine de matrimonii

6 DISPUTATIO JURIDICA

rimonii honestate. I. Quia sic per justos gradus proceditur (*sicut in re gravi decet*) à principio ad finem. II. Quia sic actus talis magis liberatur à suspicione temeritatis, & gravis ac deliberatus appetit. III. Quia præparantur hac ratione & disponuntur animi sponsorum ad illos effectus qui matrimonium decent.

DISPUTATIO JURIDICA I.

Antequam ad ipsam tractationem accedamus, opera pretium erit, ut vocabuli Sponsaliorum Etymon explicemus ac præmittamus quod in omnibus aliis disciplinis faciendum esse suadet *Ulpianus* in l. 1. π. de *f. & f.* Animus hic mihi non est omnium authorum sententias hac de re agentes enarrare, *Mercerius* putat à sponsoribus dicta esse, *Varro* derivat verbum spondeo à spero & alii à sponsionibus; sed nemini quidem dubium est, quin sponsalia nonnisi sponsiones id est promissiones significant, & quasi à spondendo dicta sint l. 2. π. de *sponsal.* sicut etiam sponsi sponsaque nomen in de natum est l. 3. π. eod. quod veteres stipulari & uxores futuras spondere solerent *Ulpiano* & *Florentino* testibus in dd. ll. 1. 7. π. de *V. S.* Alter sentit *Verrius Flaccus* qui, ut est apud *Pompejum Festum*, sponsorum & sponsarum nomen inde tractum existimabat quod ~~ποντες~~ interpositis rebus divinis facerent. Sed hisce sic positis nobis sit potior auctoritas *Ulpiani* & *Florentini*, præsertim cum ipsorum sententiam etiam confirmant veteres sponsaliorum titus, sicut enim in more prisci temporibus possum, ut, qui uxorem ducaturus erat, ab eo, unde ducenda, stipularetur eam in matrimonium ducendum iri, qui daturus erat, item spondebat daturum. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia & tunc quæ promissa erat sponsa appellabatur, qui sponderat ducendum sponsus.

Perpestâ Etymologiâ necesse est, ut quædam etiam de hujus vocis homonymiâ annotemus. Sponsaliorum vocabulum est *πολύσημος*, vocisque hujus varia reperitur apud Jctos acceptatio.

Nam

Nam sponsalia accipiuntur quandoque pro arrhis quæ à sposo sponsa dantur *ut in l. 1. C. de nupt. ex rescript. pet.* aliquando pro donatione propter nuptias *l. 2. C. de secund. nupt.* quandoque etiam pro sponsaliorum convivio *vid. Ciceronem lib. 2. epist. ad Quintum fratrem loquens de sponsalibus*, dum inquit: *hunc convivio Quin us defuit*, ut & Seneca ait, *surgam ad sponsalia, quia promisi licet non concoxerim*. Proprie tamen accipiuntur pro solentib[us] sponsione futurarum nuptiarum.

I V.

Excusa Homonymiā methodi synonymiam proponere postulat ratio; sponsalia cum futuras concernant nuptias, ab Ulpiano vocantur *in l. 6. m. h. t. & l. 13. §. 3. ad leg. Jul. de adult.* spes matrimonii; aliquando denominata *l. 7. m. cod.* quandoque destinata *l. 66. m. de ritu nupt. & apud Suet. in Jul. sibi filiam ejus in matrimonium petiit, Fausto sylla destinaram: Et Plin. Epist. 3. jam destinara erat egregio juveni, jam electus nuptiarum dies.* Alibi sperata dicuntur nuptiae *l. 5. C. h. t. l. 16. C. de episcopol. audiens*, unde sperata puella apud Plautum, *lubenter te mea sperata consequor.* Quod si sola pactiōne & nudo consensu ea conventio fiebat, pacta vocabatur *uti in l. 2. l. 4. C. h. t. l. 7. C. de donat. ante nupt.* Virg.

Et gremiis abducere pactas.

Si tamen præter pactum placeret ut superaddatur stipulatio, non sperata, non pacta sed sponsæ nomen habebat. Hinc Arnobius *circ. med. lib. 4.* gentes habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.

V.

Hicce ita præmissis consequens est ut ad ipsam definitionem progrediamur: Sponsalia definiuntur in *l. 1. m. b. t. mentio & re-promissio futurarum nuptiarum*; nobis *Gelubd, Eh Verlobnusz.* Ex qua patet quod sponsalia non sint, si vir accepta manu mulieris dicat, do tibi fidem de te in uxorem accipienda nisi etiam illa tacite

tacitè aut expressè promittat. Et hinc multò minùs , si adolescentes Virgines suas Amasias, Dominas immò Reginas & Deas nominant ; quod fit amoris tantum & benevolentiae captandæ gratiæ. Neque hæc verba , non habeo aliam præter te , vel non nisi te , nam nec sponsalia nec matrimonium inducunt ; Cum hic verborum sit sensus , ut si contingat me accipere uxorem , non aliam quam te in uxorem habebo ; ita ut hæc promissio sit conditionalis , quæ nihil disponit. Huc etiam referri potest casus ille , quem memini aliquando oblatum fuisse Facultati Juridicæ celeberrimæ , ubi quidam juvenis vindicare sibi volebat virginem iccirco , quia ille cum quæsiisset apud illam de nuptiis secum incundis ; illa dixisset (ist das auch fragens werth) sed merito repulsam tulit , & locum hic illud Syntacticum habere potest : Interrogatio & responsio casu debent convenire ; ut & præterea quia seria etiam seriora sint tractanda ; cum ex omnibus circumstantiis apparebat virginem joco id dixisse. Unde sponsalia etiam definiri possent , quod sunt mutua re promissio futurarum nuptiarum , rectè arque ordine inter eos quibus jure civili licet , facta . Dixi mutua re promissio , quia tam virum mulieri , quam mulierem viro remittere oportet ; unde spondere puellæ pater olim dicebatur , adolescentis autem despondere , ut in Adelp. apud Tarent. quin jam virginem despondi . Posui porrò , rectè atque ordine ; quia consensum non modo partium , verum etiam eorum quorum in potestate sunt adhiberi oportet l. 7. §. I. π. b. t. sed de hisce pluribus dicemus cum ad ipsam nuptiarum tractationem pervenerimus . Addidi denique , inter eos quibus jure civili licet , quia sponsalia inter eos demum contrahi possunt inter quos etiam nuptiæ l. 60. §. 5. π. de ritu nupt. excepta sola ætate l. 14. π. b. t.

V I I.

Hisce sic examinatis , non ab re futurum censeo si jam divisiones evolvamus. Dividuntur enim sponsalia in sponsalia de futuro vel de præsenti Jure Canonico , vid. c. penult. & ult. x. b. t. Quibus Canones dicere voluerunt , quod quædam promissio futuratum

turorum nuptiarum continet in se non purum aut absolutum consensum, sed cum quodam tractu futuri temporis. Quæ dilatio consensus conjugalis vel sit ob conditionem personarum, ut impuberum *t. t. de despōns. impub. l. 14. b.* vel ex qualitate conventionis, ut si verba sub conditione vel in tempus, vel alias in futurum concepta. Quædam vero promissio earum statim secum affert absolutum & præsentem consensum, absque ulla dilatione; ita ut solum solennis benedictio sacerdotalis seu copulatio sequatur in Ecclesia. Quando enim verba sonant in futurum, veluti; promitto me dūcturum vel accepturum te in uxorem, vel maritum: Aut promitto, quod accipiam te, vel per alia similia verba, tunc semper duntaxat contrahuntur sponsalia de futuro. Sed si sunt verba de præsenti, veluti; accipio te in meam uxorem, vel duco te, vel quæ sunt similia verba, tunc semper, vice versa, dicuntur sponsalia de præsenti. Tendum tamen hic est, quod licet aliquando verba promissionis in tempus futurum sint concepta nihilominus inducant consensum de præsenti, imprimis si sint matrimonii executiva, sed mens contrahentium hic etiam spectanda.

V I I.

Porro sponsalia quædam sunt publica seu manifesta, quædam verò clandestina (*heimlich und öffentliche verlöbnus*) Publica quare sic dicantur, facile constat, quia contracta sunt palam & in testium quorundam præsentia, quibus probari possunt, *vel ut Scotan. in examine suo juridic. ad h. tit.* coram iis, quorum deferatur consensus, contracta sunt. Clandestina verò dicuntur, quæ clam, id est, nullis testibus præsentibus contrahuntur: Et hæc clandestina rursus dupliciter etiam considerantur: Primum propriè & strictè, quando proflus clam & nemine præsente sunt inita. Secundo largè, quando quidem in præsentia testium sunt contracta, tamen sine consensu parentum. Et de hisce scendum, quod nullius sint efficacia, nisi publicè deinde fuerint repetita & confirmata.

DISPUTATIO JURIDICA

VIII.

Limitantur ultima *tb. preced.* in praxi ex malâ quarundam legum intellectione , nisi scilicet clandestinis accesserit concubitus, tunc illa regulariter sunt consummanda, licet parentes vitiatoris dissenserint : hinc tamen non fluit , quod concubitus clandestina sponsalia reddat licita, ut quidam volunt , sed quod ita succurratur vitiatae , quæ spe matrimonii promissi ad concubitum adducta censemur , ex qua ratione apparet, quod si viciatæ parentes causas justas habeant ob quas vitiatori filiam denegare in matrimonium persistant, ejusmodi clandestina sponsalia etiam hoc casu effectum non habeant , v. c. si inferioris cujusdam conditionis Juvenis viri cujusdam magni nominis filiam induceret do-
lo ac persuasionibus ad connubium secum ineundum & postmo-
dum etiam post concubitum , parentes inviti haud tenentur filiam in matrimonium ipsi collocare. Et ab hac authoritas stat legis divinæ *Exod. 22 vers. 16. 17.* ubi ita legitur, item si quis pelle-
rit virginem, quæ non est desponsata & concubuerit cum illa omnino
constituens ei dotem , accipiat eam in uxorem : si plaus renuet pater
ejus eam dare illi, pecuniam pendito pro ut est dos virginum. Ecce
hic apud ipsum Deum in considerationem venit sola voluntas
patris; ut si is velit, coeat inter stupratorem & stupratam ma-
trimonium : sin autem nolit, stuprator stupratam uxorem ducere
nequeat; ut maximè uterque in matrimonium consentiat.

IX.

Sunt & etiam sponsalia jurata quædam alia non jurata , & illa quidem Jure Pontificio precise consummanda: Hæc vero non æque, sed qui hæc violat aut multa aut carcere coercetur. Priora tamen intelligenda sunt de sponsalibus de præsenti & non de futuro, nam sponsalia de futuro Jure Canonico itidem spem solum matrimonii inducunt , iccirco & hoc jure mutuo consensu dissolvi queunt. c. 2. c. ult. b. etiamsi jusjurandum intervenerit. c. 1. de jurej. hujus enim gratiam sibi invicem facere possunt.

IX. Spon-

INAUGURALIS.

II

X.

Sponsalia etiam contrahuntur aliquando vel pure vel sub conditione, vel sub modo vel adjectio die, usque ad diem vero nullo modo possunt, licet cæteri contractus plurimi possint contrahi ad certum tempus & diem; matrimonium vero non contrahitur ad certum tempus, quia continet individuam vitæ consuetudinem. Conditio solet adjici vel possibilis eaque honesta, vel impossibilis, sed de hac specie acris satis & magna quæstio est inter JCtos & Pontificem. Sed nos intrepide dicimus quod conditio impossibilis, natura talis, si fuerit adjecta non valere sponsalia; quicquid etiam senserit Papa *in c. ult. de condit. appos.* Sed ne in immensum excrescat disputatio, & varia impossibilium conditionum species adferenda sint, super quibus forte nulla difficultas est, status quæstionis talis est: An matrimonium sub hac conditione initum: *si digito cælum attingeris*, vel, *si unico hanstu Oceanum eliberis* valeat? Puto sane ego ut dixi modo matrimonium per ejusmodi conditionis adjectionem vitiari; non autem impossibilem conditionem rejici & matrimonium pro puro haberi. Quia matrimonium est actus duorum, *arg. l. 1. π. de ritu nupt. §. 1. Inst. de patr. potest.* Atqui in eare qua ex duorum plurimve consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum proculdubio in hujusmodi actu talis cogitatio est ut nihil agi existimat appositâ eâ conditione, quam sciant esse impossibilem *l. 31. π. de O. & A.* Unde in conventionibus & contractibus omnibus receptum est, ut per adjectionem impossibilis conditionis vitientur. *l. 7. π. de V.O. §. 10. Inst. de Inutil. stipul.* Omnes enim consensum desiderant *l. 1. §. 2. & 3. π. de patr.* uti & matrimonium *l. 2. l. 21. π. de ritu nupt.* Sed adjectio impossibilis conditionis omnem consensum excludit add. *l. 31. π. de O. & A. l. 4. §. 1. π. de statu liberis.* Quapropter cum nullo modo teneri volumus, dicere consuevimus: *dabo, si digito cælum attingeris id est nunquam.*

X I.

Circa turpem conditionem *ex c. ult. de condit. appos.* DD. di-

B 2 stin-

DISPUTATIO JURIDICA

stingunt & dicunt : quod si conditio turpis , quæ est contra ipsam matrimonii essentiam , sit adjecta , vitiari matrimonialem contractum , aliam verò matrimonii favore haberi pro non adjectâ : sed mihi hæc non placent , cum non tantum illâ , sed etiam hac consensu excludi videatur *l. 137. §. 6. l. 26. n. de V.O.* ideoque etiam quilibet conditiones turpes sponsalia vitiare , ceu regulariter non constare putamus de consensu eorum , qui non nisi sub tali conditione adjectâ , quæ tamen ob legis prohibitio nem impleri nequit , volunt esse obligati . Et puto id etiam in tota nostra Germania sic practicari . Modum porrò quod spe cat , possibile ac honestum , consummatō matrimonio , adimplendum esse satis constat . *v. gr. ut rem familiarem diligenter curet ; & non est credibile quin id sit factura , impromtu alias est remedium quoddam , quo ad id peragendum adigi possit , nimirum actio præjudicialis : plura huc spectantia sicco pede prætereo.*

X I I.

Hæc sunt itaque , quæ de Etymologiâ , Homonymia & Synonymiâ , definitione & divisione proponere constitui ; ordo nos vocat ut de iis nunc agamus qui sponsalia contrahere possint aut qui prohibeantur . Sed de hisce sciendum est breviter quod contrahere possint sponsalia , qui & nuptias *l. 15. l. 16. b.t.* Exceptis impuberibus , qui licet nuptias contrahere nequunt , sponsalia tamen rectè contrahunt , si intelligent , quod agitur , id est , si non sint minores quam septem annis *l. 14. l. 9. b.* Reliqua huc spectantia reservabo mihi *ad seqq. II.* ubi hanc rem expresso explanabo .

X I I I.

Pauca hic tamen proponenda erunt , de ætate impuberum in contrahendis sponsalibus , quorum in *seqq.* non adeò commodè dicendi dabitur locus . Imprimis verò damnanda præcoccia illa sponsalia , de infantibus , dum in cunis adhuc vagiunt . Solent tamen

tamen parentes id s̄epissimè facere, ad amicitiam aut pacem conflandam, vel etiam ob alias nescio quas rationes. Et ut multa præterea unicum tantum exemplum hic adducam: Claudius Imperat. calamitates quoque domesticas ab immaturis nuptiis auspicatus est: *Suet. in Claud. cap. 26.* Et Alexius Comnenus Ibanco, à Blachis ad Romanos transiunti, Theodoram Isaaci generi sui filiam in cunis relictam, uxorem promiserat, ut in fide sua contra Barbaros maneret: Nec nunc defunt exempla, si in Galliam, Hispaniam & Angliam oculum reflectas, nec ullo seculo defuerunt. Utrum vero, quod passim fit recte fiat & è re tam privatæ familie, quam publici commodi, paucis considerandum nobis erit. Et quidem, quod sponsalia infantum nulla sint, tam Canonico, quam Civili Jure receptum est, *L. 14. de sponsal. Leo. Nov. 109. quam & Comnenus probavit*, sive ambo sint infantes, sive alteruter tantum, *c. 2. c. cum illis 7. de despōns. impub.* cuius ratio ex defectu consensus desumitur. Cum enim tam sponsalia, quam nuptiae consensu contrahantur, in quo consistit utriusque essentia, *L. 4. l. 11. π. de spons. l. 2. de rito nupt. l. 30. de R. I.* deficiente consensu, nuptias ipsas deficere necesse est. Consensum autem præstare non potest infans, quia consensus præsupponit intellectum, quo ipse destitutus. Dubium vero est, quoisque infans præsumatur intellectu carere, quia Modestinus, Sponsalibus, ut & matrimoniis, negat præfiniri certum terminum, sed satis esse dicit: *Modo, quid fiat, ab uirage parte intelligatur.* Mox vero intellectum ad certos annos aligat, dum addit: *Id est, si non sint minores, quam septem annis.* Sunt aliqui qui præcisè inharent numero annorum, & ante septimum completum nemini concedunt jus sponsaliorum, sicut Canones numerum possessione religionis ante completum annorum præfitorum cuiuscunque intellectus & judicii homines abigunt. *gl. in c. ex eo verb. pupillar. de Elect. in 6. & in addit. Job. Andr. in c. 1. verb. Impuberis de testam. in 6.* Nam ubi lex certum annorum numerum exprimit, contra legem facit, qui de annis aliquid remittere aggreditur *l. fin. C. de testam. mil.* Excipiunt tamen DD. regulariter matrimonium carnale, in quo non solum anni, sed & habitus corporis, & potentia generandi spectantur *c.*

DISPUTATIO JURIDICA

*impuberes 3. de despōns. impub. huc referri etiam potest l. 11. §. 3.
π. quod fals. tut. aut. gest. esse dicat.* Et Canones etiam, si mali-
tia suppleverit ætatem, immaturas nuptias tolerant. Quæ verò
ratio in matrimonii locum habet, qua de causa excludenda erit
à sponsalibus? cum perinde anni habendis sponsis, quam du-
cendis uxoribus sint præfiniti. Si enim omnis lex intelligenda
& explicanda sit ex usu & ratione, *in hac d. l. 14. de sponsal.* ap-
paret, numerum annorum à Modestino adjici non tanquam
primam, sed præsumtvam & ab externo indicio desumptam ratio-
nem. Nam propterea ante septimum annum non subsistunt
sponsalia, quia ante illam ætatem non præsumuntur infantes in-
telligere, quid agatur. Porrò verò, quod vel ante intelligent,
vel post lapsum terminum, nondum intelligent, nec illis facultas ju-
re tolli, nec his jure concedi potest, quia primaria causa, vi-
del. intellectus, in illis explevit ætatis defectum, in his nihil
operantur anni, cum absit prudentia & vis consilii, quæ in
eligendo vitæ compare necessariò requiritur. Determinavit qui-
dem Legislator sponsalia ad certos annos, sed judicis arbitrio eos
sapienter ex causa subiecta interpretandos reliquit. *Et sic legem
& thes. meam præced. intelligendam censeo.*

X I V.

Et Augustus etiam cum legi suæ, de præmiis maritorum,
immaturitate nuptiarum fraudein fieri intellexisset, tempus spon-
sas habendi coarctavit, referente *Suet. in August. c. 34.* quod pro-
lixius sic explicat *Dion. lib. 54.* *Cum quidam pueros despōnderent &*
præmias nibilominus ferrent maritorum, rem opusque mariti non
præstarent: statuit nullam sponsionem firmam esse, postquam, biennio
exacto, nuptias non sequerentur, hoc est, ut omnino decennem de-
spondere opus esset, si quis sponsionis ejus veller fructum. *Pueris enim*
duodecimus annus plenus ad nuptias definita ætas censetur. Pecu-
liari quidem & privata ratione inductus fuit Augustus ad tempus
sponsaliorum coarctandum, sed quia non parvi momenti argu-
menta eam legem perpetuam suadent, non abs re fuerit eorum
quædam repetere, & in medium proponere. *Sueton. improperat*
faci-

facilitati sponsaliorum d. c. 34. incommodum satis arduum & frequens, nimirum, *crebram matrimoniorum mutationem*, quæ ex præproperis & temerariis sponsalibus oritur. Nam constans matrimonium sperandum non est, nisi ex constanti animorum consensu, qui morum consensu ceu convenientiæ innititur. Fortè fortuna autem evenit, ut mores eorum inter se consentiant, qui ingenii documenta nulla adhuc dederunt. Et quid quoq[ue] speramus futurum, si longis dissitis regionibus, ad diversa studia, dissidentes mores, ut alia aliis populis placent, educantur. Quin etiam, licet animi consentire possint usu & conversatione: infinita tamen intervenire solent impedimenta, quæ non tantum matrimonia inchoata distrahant, sed sæpè familias integras, non-nunquam etiam Respubl. ut internecina adigant odia & indelebilis inimicitias. Rectè iccirco notavit Melancth. *Beza de repud.* pag. 84. *Corrat. Annot. 1. in Arrest. Tholos.* immatura sponsalia, incisi liberis, à parentibus pacta, in calamitates plerumque definire, non quod à solo eventu argumentum capere velit, sed quod ex rei natura vix alter fieri posse adverterit, siquidem Dei benedictionem sibi promittere nequit, qui ad generationem instituto sacro conjugio, ad ambitionem, avaritiam & commoda domestica abutitur.

X V.

Et ita serè semper fieri videmus, quod sponsalia immatura rumpantur, vel quia pinguor conditio excludit priorem, id videre possumus in Carolo V. qui, repudiata Maria Angla, pinguori fortuna inventa, duxit Regis Portugalliae filiam: vel quia animi levicula offensione, quæ ætate lubrica, tam longo intervallo facile alicunde subnasci potest, diffiliunt, vel quia illi, quorum interest repugnant; tum etiam quia nuptiarum hostis aliud impedimentum aliunde objicit, ut vulgo dici solet. De conjugiis ergò ineundis deliberandum est diu, de consumandis statuendum subito. Imprimis verò maximum incommodum secum afferunt illa, si maiores natu spondeant sibi puellas in cunabulis, aut vice versa, sæpè enim necuntur laquei conscientiis,

&

16 DISPUTATIO JURIDICA

& impeditur utilis Reipubl. liberorum generatio: Rectius igitur faciunt, qui quod in re præstare nequeunt, in spe non promittunt, & ante tempus libertatem suam nec vendunt; nec aliorum arbitrio proftiuunt, sed tum demum, quando ætas cum potestate voluntatis consentit, liberè stipulantur, quod sine mora complere & possunt & volunt.

X V I.

Hifce sic etiam perspectis, consequens est ut ad ipsum constituendi modum progrediamur. Et ut hæc ritè fiant requiri-
tur, jure veteri si stipulatione fiebat, sermo & præsentia *l. l. n.*
de V.O. & vel possunt pure contrahi, quando scil. vir & mu-
lier simpliciter pure & absolutè se invicem futuros conjuges pol-
licentur *arg. §. 2. Inst. eod.* & consensim contrahi possunt, quia
puræ sunt stipulationis, cui nec conditio inest, & sic statim dies
& cedit & venit. *l. 213. n. de V.S. vel adjecta die*, veluti cum
quis intra certum temporis spatium aliquam se dueturum in uxo-
rem promittit *§. 3. Inst. eod.* & tunc si per eum non steterit, quo-
minus intrà præfixum temporis spatium cum eadem matrimonium
contrahat licetè ad alias nuptias transire poterit: vel *sub conditione*,
cum scilicet, in aliquem eventum vel casum deferuntur. *§. 4.*
Inst. eod. Verum quær. quid si pendente conditione is, qui ad-
jecerit, istam remittere jam velit, anne altera pars obligata erit,
perindè acsi initio pure fuerint inita sponsalia? Resp. Quod si
altera pars in conditionem istam ab altera adjectam consenserit,
ejusmodi adimpletionem in se receperit, atque ita à sua parte pure
consenserit, probamus sententiam affirmantis *Dn. Carpzovii lib. 2.*
Jurisp. Consist. tit. 2. 20. 22. def. 24. adeo ut retrotrahi debeat
consensus ad tempus prius instituti contractus, *l. 8. de peric. &*
commod. rei vendit. l. 11. §. 1. qui pot. in pign. Si vero is, cui
puellam petenti ut sibi despontaretur, sub conditione tantum
promissa, non consenserit in istam conditionem, sed rem in
pendenti reliquerit, non obligabitur, licet altera pars conditionem
remittere velit *arg. §. 5. Inst. de inutil. stipul. Add. de conditio-*
nibus Cypr. de sponsal. c. 8. Rensner Consult. l. 1. q. 2.

XVII. Mo-

X V I I.

Moribus cum deventum sit in multis ad Juris Gentium simplicitatem, contrahuntur sponsalia absque verborum solennitate solo consensu *l. 4. l. 7. l. 11. π. b.* tam eorum qui conjunguntur *d. l. 11. l. 6. l. 13. eod.* quam quorum sunt in potestate, at quomodo & quoisque eorum consensus sit adhibendus videbimus commodius in Sect. II. Cæterum in sponsalibus constituendis parvi refert per se & coram, an per nuntium vel per epistolam an per alium hoc factum sit *l. fin. π. b. l. 2. π. de pact.* constat enim, cum sponsalia nudo constituantur consensu & pacto, absentem absenti desponsari posse; & hoc quotidie fieri videmus, & imprimis in magnatibus locum id habet. *l. 4. π. b. l. 2. l. 4. C. eod.* nec etiam interest in scriptis an sine scriptura quis sibi spondeat uxorem futuram modo de consensu constet *l. 7. π. b.* in majorem tamen securitatem in tabulas ut plurimum sponsalitiae conventiones referebantur; vid. Juvenal. Satyr. 6. Quæ tabulæ signatoriis eorum, qui interfuerant, annulis obsignabantur *l. 66. π. de donat. int. vir. & ux.* unde Juvenal. de nupt. contrahend. agens ait.

Veniet cum signatoribus anspe.

Quo peracto in argumentum contractorum sponsaliorum sponsæ à sposo arrhæ dabantur *l. 3. l. 5. C. b. l. 15. C. de donat. ante nupt.* futuri causa conjugii *l. 56. C. de Episc. & Cler.* quin & annulus sponsæ pignoris loco mittebatur *l. 36. §. 1. π. de donat. int. vir. & uxor.* quem pronubum *Tertullianus* in libro de cultu fœminarum vocat, *aurum*, inquiens, *nulla norat præter uno digito*, quem *sponsus oppignorasset pronubo annulo.* Fortè propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis ut eorum corda eodem pignore jungantur. Locum habet etiam illud nostrum: (*Wan der finger ist beringt, so ist die Jungfrau gedingt.*) Cur apud Romanos communis assensu receptum est, annulum in digito sinistro qui minimo vicinus est, quia nimis in illo vena reperitur, quæ ad cor usque pervenit, gestare. Quod & Juvenal. indicat Satyr. 6. Quandoque accedebat & osculum, quod sposo confessum certarum nuptiarum erat indicium: (Romanis enim olim

nullas deosculari mulieres, præter agnatas, licuit: cuius rei rationem fuisse ajunt *Valer. Max. lib. 2. c. 1. Plin. hist. natur. lib. 14. c. 3. & Älianuſ Var. hist. lib. 2. cap. 38. ut si quæ earum temetum gustassent, id vi anhelitus patesiceret.*) in tanto quondam pretio pudicitia & virginitas fuit, ut si qua osculum præbuisset impudica haberetur, unde osculum sponso datum, quasi certa futuri conjugii & concubitus spes. Et hinc inferunt DD. Virginem posse talem injuriarum convenire à quo sibi invitæ fuerit illatum osculum; arg. §. 12. *Inst. de R. D.* sed meo quidem judicio hoc meritò de ponte est præcipitatum & à *Dn. Groenew.* inter LL. abrogatas relatum, nec spero unquam revivisciturum; vid. ipsum ad l. 16. C. de donat. ant. nupt. & quis quæſo hac in parte non assensum mihi præbet. Huic quandoque accedebant munera sponsalitia, quorum mentio fit in l. 1. §. 1. π. de donat. l. 25. π. deposit. & aliis. quæ tamen interdum ea lege siebant, ut nuptiis non securis revocarentur d. l. 1. §. 1. de donat. l. 2. l. 7. C. de donat. ante nupt. quod si nihil nominatim convenerat ratæ donationes manebant l. 11. l. 16. C. eod.

X V I I I.

Dictum sic satis esse arbitror, pro instituti ratione, de contractis sponsalibus, res nunc eō devenit, ut aliquid etiam agamus de eorum effectu & fine. Effectus sponsaliorum est, quod inducunt obligationem ad futuras nuptias; & qui bina sponsalia contrahunt notantur infamia eō modo quo binas nuptias; & hoc sic proposum est in *Pretoris edito:* vid. l. 1. π. de his qui not. infam. circ. fin. sponsa in multis pro uxore etiam habetur, & sponsus loco mariti. Et fit sponso ingens atque atrox injuria, si sponsa alii fuit tradita aut cum alio concubuerit, quo casu licet illa adulterium non committat, cum nupta non sit, neque poenis legis Juliz subjiciatur, non fert tamen lex impunè illiciti concubitus admissum, sed illum vindicare & sponsam accusari permittit, non quidem jure mariti sed sponsi, immò magis stuprum quam adulterium est quod cum aliena sponsa committitur, arg. l. 6. §. 1. π. ad leg. *Jul. de adult.* efficit etiam quod necessitudinem quandam

quandam matrimonium aliud impedientem inducant; nam quamquam sponsa mea patri non sit nurus *l. 12. §. 2. π. de ritu nupt.* sponsa patris proprié non sit noverca *d. l. 12. §. 1.* non tamen patri meam neque mihi patris sponsam ducere licet *l. 12. l. 14. eod.* hoc de sponsaliorum jure ac effectu satis hic esse dictum putamus; reliquorum in seqq. commodior diceendi dabitur locus.

XIX.

Videndum ultimò nobis erit quomodo hæc jura dissolvantur, nam uti variis modis contracta sunt, ita etiam variis solvantur, nam sponsalia non ponunt vinculum indissolubile. Et imprimis mutuo contrahentium dissensu *c. 2. x. b. t.* Quia quisque potest remittere quod sua interest ac juri suo cedere. Idque obtinet, quantumvis jurata fuerint sponsalia, inita à pueribus, quia etsi juramentum in Deum dirigatur, id tamen sit tanquam in testem promissionis, quæ alteri fit, cui liberum est obligationem remittere; sed de hisce in preced. vid. Th. IX. Quando fortè se invicem odisse coeperunt, nam tum compelli non debent ad consummandum matrimonium ne in deterius proluat, nam quod coactum est difficiles sapienter solebat habere exitus. Jure Civili patri, in cuius potestate est, licet sponsalibus renuntiare *l. 1. b. t.* Quomodo in *l. 10. π. eod.* dicitur patrem posse remittere nuncium sponso filiæ, & sponsalia dissolvere, hæc vero intelligenda sunt de filia in potestate patris adhuc constituta, non vero de emancipata, non etiam renuntiatione tutoris effici potest ut sponsalia dissolvantur *l. 6. π. b.* Non tamen ex præscripto Canonum impunè. Quin etiam jure civili, contractis sponsalibus, si quis quæve major 25. annis sine justa causa nolit nuptias equi, arrhas acceptas restituet in duplum, id est, alterum tantum reddit, minor vero simplum: & si, qui dedit, non contrahat, arrhas amittit, manentque apud eum qui accepit. Pater quoque, qui nuncium mittit, & impedit, quo minus subsequantur nuptiæ, deplicatas arrhas præstat *l. 5. b. t.* Quæ ita obtinent, si non propter personam vel conditionem, vel aliam justam causam matrimonium impediatur, quod enim

25 DISPUTATIO JURIDICA

lege jubente impeditur & dirimitur, poenam non meretur, d.l.5.
 Idem dicendum, si absque culpa alterius sponsalia dissolvantur,
 ut puta morte, nisi mora alterius præcesserit l.3.b.t. Idem de-
 nique juris est, si post datas arrhas alterius, conversatio turpis,
 religionis vel sectæ diversitas, aut impudicitia appareat d.l.5.
 quia non committit perfidiam, qui mutat consilium, mutato
 statu personæ, quam sperabat habere integrum, & non vitiatam.
 Quomodo fornicatio sponsæ ignorata sponso, dat ei jus resi-
 liendi impunè, quia talis non est, qualis petebatur d.l.5.
 Aliud dicendum, si sponsus crediderit sponsam esse virginem,
 cum sit vidua: non enim recedere ab ea poterit, sed debet sibi
 imputare, quod talem duxerit, de cuius statu & moribus facile
 poterat inquirere. Quod secus est in fornicatione, quæ quia
 occulta, sponso non est imputanda ignorantia. Immò nec eo
 casu, quo sponsæ vis ab alio illata est, eam ducere cogitur;
 licet juraverit. Nam etsi culpa sponsæ argui nequit, res tamen
 integra non est: maximaque nota vir afficeretur. Nec urget ju-
 ramentum, quod sequitur naturam actus, quia non excludit
 conditionem subintellectam. Ex prædictis infertur, quod si is,
 qui puellam suis nuptiis pactus est, intra biennium exequi nuptias
 in eadem provincia degens superfederit, illa alteri possit nubere;
 sèpè tamen justæ, ac necessariæ causæ, veluti valetudo, mors
 parentum, crimen, captivitas, peregrinatio, non solum bien-
 nium, sed & triennium possunt sponsum præpedire, quo minus
 nuptias contrahat; quare expectandus erit, donec impedimen-
 tum cesset l.pen. π. b. nisi ex mora periculum sponsa patiatur,
 uti annotant omnes practici.

SECTIO

SECTIO ALTERA,

DE IPSIS

N U P T I I S.

T H E S I S I.



Ictum sic satis esse puto pro temporis & instituti ratione de *Sponsalibus*, consequens nunc erit ut aliquid etiam de *Nuptiis* dicamus: *Nuptias* à nubendo dictas esse neminem fugit, eo quod olim novæ nuptæ pudoris ergo caput obnubere flammeo solebant, idque *Festus*, *Nonius* & alii complures notant. *Seneca* in *Octavia*, de *Poppaea Neroni* nubente;

Velata sumnum flammeo tenui caput.

Confuetudo nubendi, ceu velandi sponsam describitur à *Plinio* & *Servio*, nec non à *Lucan.* lib. 2.

Timidum nuptæ leviter rectura pudorem.

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Caput quippe obvolvebat nova nupta flammineo, ceu velamine lutei coloris, quem inde præ cæteris honoratum putat *Plinius*, eoque ita deducebatur ad domum mariti, boni omnis gratia, quod *Flaminica*, ceu *Flaminis* uxor non posset divor-tium cum viro facere. Usu receptum id quoque erat apud *Judaos*, quandoquidem *Rebecca*, ad conspectum *Isaaci*, obvoluto capite projicit se in terram, *Gen. cap. 24.* in testimonium fortè subjectionis & pudoris.

I I.

In hac *tb. & seq.* videndum nobis quicquam erit de eo scil., quis autor fuit conjugii uti etiam de ejus dignitate : Autor conjugii est Deus, qui non solum naturalem propensionem, quā mares & feminae in conjunctionem feruntur omnibus animalibus per naturam indidit. *pr. Inst. de I. N. G. & C.* sed etiam singulariter inter homines conjugalem statum instituit, & certis legibus determinavit. *Gen. cap. 2. v. 22. Matth. cap. 9. v. 4.* Dignitas & necessitas in eo consistit, quod sine conjugio & sole Respublica subsistere non possit ; & hoc non aliunde expeditius, quam ex finibus conjugii deducitur, quorum plures particulares quidem proponuntur, sed qui omnes ad tria præcipua capita deducuntur, nimurum ; procreationem sobolis, mutuum adjutorium & remedium libidinis ; adjicitur quidem & quartum, ut scil. sit Sacmentum Christi & Ecclesiae. Præci-
puus ergo & primus omnium est procreatio sobolis, cum hujus gratiâ institutum fuerit conjugium in ipso Paradiſo, & continet sub se conservationem tam Reipubl. quam Ecclesiae, nec non familiarium & privatim personæ cujusque, quæ in prole subinde renascitur & immortalitatem primæ cause assequitur *I. 220. §. fin. π. de V. S.* Sed ut privatam hanc utilitatem, quæ ex iucundo liberorum intuitu, & stirpis ab interitu vindicatione capit, omittamus ; publicam nobis ob oculos ponamus. Si ne generatione enim, quæ genus humanum quasi immortale facit, Respublica subsistere non potest nec Ecclesia *I. I. π. solut. maritim. I. 2. C. de ind. vid. toll.* & proinde sicut Reip. interest, ne deserantur nuptiæ, quibus solis honestè satisfieri potest naturali libidini, & civitatis amplitudo conservari : Unde seminarium Reip. vocantur & nihil iis humano generi datum vel præstantius vel utilius esse potest : hinc *Augustus* negat se vide-
re, quā ratione Resp. stare & conservari possit, nisi fortè ex-
pectent, quod est in fabulis, ut ex terra aliqui exoriantur qui
Reipubl. excipient & tractent :

*Si mos antiquis placuisse matribus idem,
Gens hominum vitio deperitura fuit
Quique iterum jaceret generis primordia nostri,
In vacuo lapides orbe, parandus erat.*

Sic ait *Ovid.* de muliere sponte abortiente. *Procopius* author sat-
tis elegans, Rempublicam Romanam inde pessum ivisse scribit,
quod cum homines procreationi liberorum negligentius se de-
derent; infrequentiores factæ civitates incursioni Barbarorum ob-
sistere non potuerint. Dat itaque *Augustus* hac in parte admo-
nitionem, dicens: *Hortari se, ut insanire desinant, & secum
reputent, urbem nullo modo salvam esse posse, nisi in locum eorum,
qui morbis & bellis absumentur, alii substituantur.* Immò lon-
gius ab ipso provehitur, *sacrilegos, homicidas, impietatis & pro-
ditionis reos faciens omnes eos, qui aras Deorum, & sacra fami-
iliarum suā incuria, in nihilum recidere sinant, qui quasi in herba
suffocent, quos de se gignere potuissent, qui majorum nomina dedita
operā deleant & patriam, civibus vacuam, exponant ludibrio ho-
stium.* *Quisquis ergo homines nuptiis privat, is abolet familiam,
civitatem & totum genus humanum, quod absque generatione non
potest permanere.* Ex hisce ergò excusari possunt conjugii mo-
lestiae, si scil. ad hanc considerationem parentes deducuntur,
nimirum: *Oportere eos gignere, ad conservandam propaga-
tione sobolis naturam humanam, ut singuli Deo alios cultores
suo nomine substituant.*

III.

Natura etiam, seu potius *Deus* ipse postquam finem conjugio
præstinasset, & ut, quam sit ad conservationem Rerump. ne-
cessarius, ostenderet, stimulus tantos non tantum hominum;
sed & aliorum animalium, quæ conservata ad totius venustatem,
inclinationibus adject, quantos nullibi alijs invenire licet, utsi
segnius aliquis fortasse, ex neglectu publici boni, movere inci-
piat, intus habeat, à quo moneatur & impellatur; Proinde non
tan-

DISPUTATIO JURIDICA

tantum *Ulpianus* in l. 1. §. fin. π. de f. & f. sed & *Justinianus* in pr. *Inst.* de f. N. G. & C. ex naturæ origine matrimoniorum necessitatem deducunt: Et dicit in hunc finem non ineleganter *Cicero* 1. offic. 3. de finib. *Cum ad tuendos conservandoque homines, hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturæ, ut sapiens velit gerere & administrare Rempubl. atque ut ē naturæ vivat, uxorem adjungere, & velle ex ea liberos procreare. Add. l. unic. C. de rei ux. action.* Hunc in finem, & præceptum est & divinum & naturæ, sic enim dicit primò ipse Deus Gen. cap. 2. *Crescite & multiplicamini.* Alter finis conjugii consistit in utilitate & jucunditate privata, quam exprimit consilium divinum his verbis: *Non est bonum hominem eſe ſolum. Faciamus ei adiutorium* Gen. d. cap. 2. *Est enim non tantum foemina ſuā naturā imbecillis, ſibique proſpicere non ſatis idonea, ſed etiam vir ſine adiutorio muliebri quodammodo nequit ſubſiſtere, ut ait Ariſtoteſ. lib. 1. Politic. cap. 1. & ex hâc cauſa naturali impetu fertur alter in alterum, tanquam ſui partem; quod aliqui adumbrare voluerunt ex primâ mulieris formatione, quæ diuīſa à corpore Adami, Gen. 2. & ex coſta exædificata legitur. De imperfectione ſolitarie vitæ multa hic quidem adduci poſſent, ſed ut breves ſimus, lubens prætereo ea: Graci enim, quaſi cælibes imperfectionis tacitè arguebant: Strabo in cum ſenſum interpretaſtur Epitheton ab Homero Mysis datum, quo eos vocat ἀπίστοι, quaſi in vita mortuos, quod conjugii commodis ſcil. carerent, ſeu, quod brevi intervallo, dum posteritatem nullam relinquunt, quaſi non vixiſſent, prorsus emorerentur. Cum poſteā primorum parentum lapsus omnia corrupit, & cupidio generandi in inordinatam degeneravit libidinem, honesto conjugii refrigerio eam extingue voluit Divina ſapientia, & hinc jubet Paulus, ut ad evitandam fornicationem, quiſque ſuam uxorem habent 1. Corinth. cap. 7.*

I V.

In hac agimus aliquid de moleſtiis & incommodis vitæ conjugalis, & num iccirco ſint deferenda? Matrimonii incommoda magna

magna esse, diffiteri nobis non licet; Hanc autem notoriam molestiam, quâ conjugium gravatur, quid opus verbis exaggerare, cum nulla domus sit ejus expers, & nullæ sive profanæ sive sacræ literæ eam negent. Et ut sacra præteream, vid. Matth. cap. 19. solum leges quoque civiles matrimonium multis calamitatibus obnoxium testantur 1. unic. C. de impon. lucr. descriptione. & Canonice, *onus & sarcinam* vocant. Vulgo nexum, & vinculum matrimoniale dicimus; aliquando *compedes nupiales* vocamus, quia sui juris non magis est, qui pacto conjugali se astrinxit, quam quem conclusum tenet ambitus carceris, aut extraneæ familiæ, iniqua illigavit servitus. Nuptiae etiam aliquando vocantur pedicæ; Nec enim sux potestatis est uxor, quæ virum, nec vir, qui uxorem habet 1. Corinþ. cap. 7. & in speciem quandam servitutis se tradisse videtur, qui corpus suum tradidit conjugi 1. 2. π. de liber. exhibend. homin. Taceo incommoda cætera quæ vulgo recensentur; & quod de amore Parmeno philosophatur apud Trent. Ennuch. Act. 1. Scen. 1. nihil causæ est, cur non itidem ad conjugium trahi possit; vid. etiam Horat. lib. 2. Satyr. 3. Binos esse cum uxore jucundos dies: alterum, quo ducitur: alterum, quo mortua effertur. dicit Hippoñat. apud Stob. ser. 67. Et satiùs est commorari cum Leone & Dracone, quam cum muliere nequam, inquit Regum ille sapientissimus Salomon Ecclesiæc. cap. 25. Idem etiam mavult in angulo tecti, aut deserta habitare eremo, quam cum muliere litigiosa, Proverb. cap. 21. nec graviorem poenam potuerunt Romani profugo homini injungere, quam, ut eum damnarent in ædes juxtâ improbam uxorem. Philosophus quidam, cum inimico elocasset filiam, rogatus quare id fecisset, quia, inquit, non potui illum gravius multare, quam elocando id, quod pessimum natura produxit: & Democritus interrogatus, quare parvam duxisset uxorem, respondit: Quia ex duobus malis minus eligendum fuit. Omnibus sic malis punicis inest granum aliquod putidum, & ne optimæ quidem vitiis caruere suis. Indicio sit lapsus Eva, stomachationes Saræ, jurgia Rachelis, Adulterium Betsabee, & quæ præterea, longa referre mora est. Socrates alia tria mala fæse nactum dicebat: Grammaticam scil. paupertatem, & per-

DISPUTATIO JURIDICA

nitosam Xantippen. Vulgaris circumfertur etiam versiculus:

*Fœmina nulla bona est, quod si bona conigit unquam,
Nescio, quo fato res mala facta bona est.*

Qui tamen universaliter non est accipiendus; & hæc suo loco relinquo, velim porro ut quoad mentem & sententiam meam attinet hanc thesin L. B. positivè non concessivè intelligeret & explicaret. Sed hæc & talia mitto ne in earum odium tanquam in laqueum incidam. Hæc cum licet ita sese haberent, nec omnino careret molestiâ vita conjugalis, non tamen propterè desferenda est, multò minus ejuranda. In charitatem enim peccare dicitur qui propter molestias, abhorrent à conjugio & fugiunt educationem liberorum. Si curam fugimus, virtus fugienda est, quæ necesse est cum aliqua cura res sibi contiarias aspernetur atque oderit. Et qui vult vitare molestias, vitet mundum, ait Erasm. in *Miseg.* Pœna enim lapsus ita pervagata est & corruptit omnia, ut sine labore & molestiâ nullibi pedem figere aut consistere licet. Hinc etiam ab ipsis *Ethnicis* satis eleganter dictum fuit: *Dii sua bona mortalibus non aliter vendunt, nisi maximorum laborum presio.* Si enim porrò oculorum aciem ad cælibatum reflectere velimus, non parciorem illic malorum segetem licet demetere. Qui enim solus est, ait Eccles. cap. 4. in vanum laboribus se consumit, nec fructum eorum unquam gustare potest. Ubi ceciderit, nemo est, qui jacentem erigat: ubi dormitum iverit, nemo est, cuius calore foveatur: ubi oppugnatuerit, nemo est, qui propugnet. Qui vero socium vite habet & adjutorem operarum, ab eo erigi, calefici, & propugnari potest. Et quod unus sine alterius opere vivere & sibi sufficere non queat, ex diversis utriusque naturis, ad diversa officia destinatis, patet: In hunc itaque etiam finem uxori dicitur facta in adjutorium viro *Genes. cap. 2.* Nam mulieres operas omnes nequit vir subire, nec ullus vir concrescit cum altero in unam carnem, ut eorundem malorum & bonorum ex æquo fieri queant participes. Bene Aristol. 8. *Ethic. cap. 12.* dicit: *Alia animalia coèunt generationis causâ: At homines non hujus tantum, sed & rerum earum gratiâ, que ad vitam spectant, simul habitant.* Continuò enim officia divisa sunt, aliaque sunt viri & uxoris. Sibi ergò

ergò mutuò opitulantur, in commune sua utrinque conferentes. Et ne cætera, quæ hic pullulant, incommoda, aut defectus bonorum *Matrimonii* ceu finium, prosequar, illud non potest non magni momenti esse apud religiosos homines, quod qui extra conjugium; vitandarum molestiarum gratiâ, dono continentiae destituti, sive vivere imperant, aut perpetua ustulatione torqueri, aut cum scortis volutare cogantur, cum tamen viro in promtu sit remedium extinguendi, quod quia nullum datur cælibibus, quid licebit de iis præsumere, nisi, quod eò acrius sitiant, quò minus sitim sedandi copiâ datur? Quantò verò anima præstat corpore, tantò sollicitius fugiendum est illius, quam humus detrimentum, id quod *Paulus Apostolus*, non unâ sententiâ confirmat, *1. Corinth. 7. Ad vitandam fornicationem suam quisque uxorem habeat: Qui se continere nequit nubat: Satius est nubere, quam uni.* Quid enim profit homini, si lucretur totum mundum, & animæ interim jacturam faciat, aut quodnam illud tantum est, quo jacturam animæ redimere queat, *aut ipse Christus Matth. cap. 16. circ. fin.* Aut igitur ob incommoda vitandum non est matrimonium, aut non minus vitandus cœlibatus, cum malis prematur si non paucioribus, saltem eò gravioribus, quò proprius vergunt in animæ detrimentum. Et ubi enim sincerâ perfrui cui voluptate licet, & bono potiri sine malo, stultus sit, si præter id velit sibi unâ comparatum malum: Verum, quando malum innexum est bono, ut plerumque in rebus humanis accidere solet, ut rosam decerpere non liceat salvis unguiculis, &

— *Sint mala mixta bonis, sint bona mixta malis.*
Tum, aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his admittenda. Invicem iccirco in statera appendenda sunt bona cum malis, quando neutris separatim potiri fas est, & eò inclinandum, quo inclinat pensior moles. Cum igitur ex conjugio majora orientur commoda, quam incommoda, hæc propter illa non secus devoranda sunt, ac amarus succus propter dulcem sanitatem. E duobus enim malis eligendum est minus, quod majoris boni rationem subit: hæc verò *Augustus brevius in oratione sic explicavit: Esse quidem in matrimonio molestias & difficultates,*

28 DISPUTATIO JURIDICA

cultates, idque negari non posse, interim cogitandum nullum esse bonum, cui non sit aliquid acerbi admixtum, quod si quis declinare velit, ne bonum quidem appetendum esse, quandoquidem ad virtutem & voluptatem veram perveneri non possit nisi in ea paranda labor impendatur. Partem quandam Orationis Metelli Censoris, quæ ad propositum nostrum facit hic allegabo recitatus ab Aul. Gell. noct. artit. lib. 1. cap. 6. ubi ita extat. *Si sine uxore possemus Quirites, esse, omnes eā molestiā careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum iis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetua potius, quam brevi voluptati consuendum.* Si enim bona & possessiones aliquando Reipubl. impendendæ, nec vitæ ipsi parcendum, ut salus patrie redimatur, cur non & genius parum defraudandus, aut otium interrumpendum, quò futura præveniatur ejusdem ruina. Indignum statione sua censet Plato, qui in ea non relinquat succenturiatum successorem: & juvenis Spartanus noluit seni, qui vitam sine uxore consumserat, pro more in theatro assurgere, quia, inquiens, *post te neminem relinquis, qui mihi viciissim assurgere queat.* Boni ergo publici gratia privata sibi ferenda mala: Multò magis eā quoque de causa patienter ferendæ sunt uxoris injuriæ, ut dum domi talem perpetimur, insuescamus & exerceamur, quo cæterorum quoque foris petulantiam & injuriam facilius feramus. Inficiari velle manifesta tædia, impudentis foret & refractarii disputatoris: impatientis verd civis, nolle quietem domesticam in discriumen aliquod incertum pro restauratione totius Reip. deducere, præsertim cum mala, quæ conjugio impinguntur, talia sint, ut usu assuetudineque mitescant, & conjugio essentialiter non sint innexa, sed studio & prudentiâ corrigi aufferrive possint. Vitium enim uxoris aut tollendum, aut ferendum est. Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præstat, qui fert, se se meliorem facit. Fertur autem assuetudine & prudenti patientia: Tollitur curâ & amicâ interpellatione. Nihil enim efficacius promovet animos, potissimum muliebres, quam preces & blanditiæ virorum: Amatorum benevolentia plurimum valet apud Amasias ad inferendum virtutis studium, si moderati ipsi sint & honesti. Quod si nec sic quicquam

quam profeceris : Levius sit, si bene fertur onus; & tolerabilius reddit patientia, quicquid corrigere est nefas. Multa quoque ab initio insuetis videntur intolerabilia, quæ dies sensim, ætas & usus mitificant. Nam quod in pomis notat *Arcius*, itidem evenit in conjugiis, quæ dura & acerba nascuntur, post fiunt mitia & jucunda. Sed quæ gignuntur statim vieta, & mollia, atque in principio sunt vivida, non matura mox fiunt, sed putida. Hæc dum incipias, ait *Comicus*, dumque ignores, gravia sunt, ubi cognoris, facillima. Et si ullibi, alibi certè hic. Prima coitio acerrima est, ut ait idem in negotio non dissimili.

V.

Considerat̄ itaque nuptiarum voce, origine, necessitate, utilitate & dignitate : Nunc ad definitionem matrimonii, ceterum nuptiarum nobis progrediendum erit. *Nuptiæ autem, sive matrimonium, est viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens, §. I. Inst. de patr. potest.* Vel confortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio *I. i. m. b. t.* Definitur etiam ab aliquibus quod sit unius maris & sc̄eminæ legitima conjunctio & indissolubilis, juxta divinam institutionem multò utriusque consensu inita, ad generis humani propagationem, ac mutuum vitæ adjutorium; sed hæc per se nota sunt & sic circō superflua, sitque prior definitio in Inst. expressa nostra, quoniam & brevior & melior est. Advertendum tamen hic est quod nuptiarum vox variè sumatur. Primum, pro sponsalibus per verba de præsenti, absque tamen copula carnali subsecuta, quæ etiam verè & propriè matrimonium dicuntur; & ratio est: Quia non concubitus, sed consensus faciat nuptias. Secundū, nuptiæ quandoque accipiuntur pro matrimonio, propter carnalem copulam subsecutam, & hoc etiam dicitur in multis partibus juris. Tertio, Nuptiæ (& hoc modo plerumque capiuntur strictè & propriè) pro solennitate & festivitate nuptialis diei, & convivii, sicut germanicè dici solet *Die Hochzeit*. Sic capiuntur quoque propriè in Euangeliō, ubi erant nuptiæ in *Cana Galileæ*.

30 DISPUTATIO JURIDICA

Sic quoqne è contrà matrimonium dupliciter accipitur. Primum quando illud est contractum per verba de præsenti, etiam nulla interveniente copula carnali, per d. jura, supra in primò membro huj. th. relata. Secundò magis propriè & strictè, quando scil. præter consensum, per verba de præsenti, emanatum, quoque conjunctio carnalis subsecuta fuerit. Nunc in proposito nostro, nuptiæ ceu matrimonium in definitione possunt intelligi non solum carnali copula subsecuta, sed etiam absque conjunctione corporali, dummodo verba de præsenti intercesserint.

V I.

Definitionis explicationem aggredimur : Vocabulum *conjunctio*, hoc generis loco ponitur ; & simul causam efficientem denotat, nempe, consensum, quia ut rerum, ita & vitæ societatem efficit etiamsi nihil intervenerit aliud. Initur ergò iuxta Dei institutionem matrimonium consensu mutuo, ceu constituitur matrimonium initio in affectu alterno *Nov. 32. cap. 3.* sive consensu conjugali, in individuam scil. ac fidissimam societatem, qui etiam includit animum & votum liberos procreandi *d. alleg. l. 220. §. 3. de V. S.* Concurrunt enim in matrimonio conjunctio animorum & copula seu conjunctio corporum, ordinata ad prolem : in illa consistit essentiale hujus conventionis; *l. 30. de R. F.* hæc illam sequitur *l. 220. §. 3. de V. S.* Primariò ergò est animorum, secundariò etiam corporum : atque primum est causa secundi, & ex secundò primum infertur : cum ratione quoque naturali constet, sine vinculo indissolubili non licere copulam in cunjunctione ergò voluntatum & affectuum videtur forma consistere, conjunctio corporum est consequens, quæ tamen potentialiter & intentionaliter ita requiritur, ut conditio perpetuæ castitatis adjecta, conjugium ipso jure faciat nullum. Atque hinc ob impotentiam, quæ jam ante nuptias adfuit, matrimonium declaratur nullum, & dicitur de ejusmodi personis: *Datz sie mit einander in keinem vollständigen ehebette gesessen;* inter omnino impotentes si nolint ab initio connubio recedere, non esse verum & perfectum matrimonium, sed societatem & cohabi-

cohabitationem quandam, at de hisce pluribus in *Seqq.* Quæstio oriri posset quomodo consensus fiat? Resp. quod declaratur ipse consensus regulatiter expressis verbis; aliquando verò ex signis aut factis colligitur. Ad declarandum & explorandum isthunc consensum nonnunquam *proxenetae* adhibentur; & quidem mulieres sèpius adhiberi soleant quam mares; quoniam melius illà callent arte, & dulci sermone & blanditiis commadius possunt virgines inducere.

V I I.

Sunt qui ad implendas nuptias jure Romano necessariam fuisse existimant aut solennem illam deductionem mulieris in domum mariti, quæ veteribus usitata fuit, aut nuptiarum festivitatem, per l. 5. n. b. t. l. 15. n. de cond. & dem. l. 6. C. de donat. ante nupt. l. 24. C. de nupt. Sed verius est, neutrum eorum ut necessarium desiderari, ut intelligere licet ex responso *Scævole*, l. pen. de don. int. vir. & ux. & rescripto *Theodosii* l. 22. C. de nupt. nec admodum difficile est ad superiores locos respondere. Nam in l. 5. n. de ritu nupt. *JCtus* non docet, quomodo nuptiæ contrahantur, sed rationem ac formam tantum deductionis demonstrat. Quod autem *Ulpianus* in l. 15. de cond. & demon. ait, conditionem nuptiarum tunc impletam esse, cum uxor ducta est; & *Justinianus* in l. 24. C. de nupt. conditionem nuptiarum non aliter impleri, quam si ipsa nuptiarum accedit festivitas: ex mente extraneorum sumptum est, qui cum nuptias alicujus futuras nominant, ad solennitatem & celebritatem nuptiarum cogitationem referre solent. Sed & in re ambigua hoc ritu consensus declaratur, & nuptiæ ex deductione aut festivitate intelliguntur perfectæ; quod tantum ostendere voluit *Imp. in d. l. 6. C. de donat. ant. nupt.* Diximus constitui conjugium consensu in societatem conjugalem, & is quidem essentiam conjugii producit. Sunt verò omnium ferè gentium moribus ad cohabitationem, quâ consensus consummatur, initiandam, & consensum publicè confirmandum, quædam solennitates adhibitæ: Apud Athenienses quippè lege imperabantur symposia; & id ideo factum,

factum, ut cum liberi concredantur alienæ fidei, traditioni tam periculosæ assistant cognati ac maxime necessarii. *Homerus* nuptias filiæ Menelai instruit non tantum epulis, sed & cythara & choreis. De *Hebreorum* consuetudine sufficiens testimonium præbent apparatus *Labani*, *Gen. 29.* *Samsonis Jud. 14.* Nuptiæ quæ habitæ sunt in *Cana* huc adduci possunt. Item, quod in parabolis, ubi nuptiis assimilatur regnum cœlorum, adjiciatur mentio *Epulorum* magnificarum, *Luc. 14.* *Math. 22.* *Apocal. 19.* *Lycurgus* in phiditiis voluit cenare sponsum cum sponsa, ne sine solennitate ingredederetur nupta thalamum mariti, nec tamen ultra facietatem corpus gravaret, *ut ait Plutarch. in Lyc.* qui & alibi reprobat exorbitantem suæ ætatis luxum, qui non tantum depauperat novos nuptios, & à precibus destinatos animos avertit, sed etiam luxuriosæ soboli occasionem præbet, quemadmodum Diogenes temulento juveni objecit: *Pater tuus te ebrius seminavit.* De *Romanis*, ex *Lucan. lib. 2.* de Catonis & Martiæ nuptiis. De deducione in domum diximus, invenio autem apud autores & JCTos duplicitis deductionis mentionem adhuc fieri, 1. in hortos. 2. in cubiculum; sed hæc & reliqua huc spectantia nec attingam, neque ulterius deducam; & qui priscorum ritus in nuptiis adhiberi solitos nosse cupit, legat *Brisson. lib. singul. de ritu nupt.* Hodiè festivitatem nuptialem præcedit publica ex suggestu proclamation: ut plurimum tria, quæ denunciations banna vocantur: post triam proclamationem aliud ad impediendum matrimonium non audiri. Deinde ipso nuptiarum die sequitur in Ecclesiâ, vel coetu fidelium sacerdotalis copulatio & benedictio: Mox alterâ horâ etiam post Ecclesiasticam copulationem, si moritur unus conjugum, superstes capit bona statutaria, quæ in *Ducatu nostro Clivenſi* plerisque in locis, sunt mobilia; vel dotem si dotalia sint facta pacta; debet enim defunctum conjugem lugere l.6. l.7. m.b.t. Verum enim verò de hisce certi aliquid statuere non possumus, cum pro loci diversitate jus itidem sit diversum. Quær. autem circ. priora nimirum, si copulatio & benedictio non sit facta, an matrimonium sit nullum & liberi illegitimi? Quam ut decidamus quæstionem, inspiciendæ præprimis veniunt rationes illarum solennitatum, quarum duæ (1.) Publica honestas Ecclæ-

clesiastica, ut convenientiori cum decentiâ matrimonium contrahatur, ac iteretur per sacerdotem benedictio divina primis conjugibus à Deo facta (2.) ut de consensu conjugali publicè constet, atque ita evitentur sub prætextu matrimonii clandestinæ scortationes, ut & præterea quia Reip. interest, scire quinam & cum quibus coëant, ne civitas vel rixosis matrimonii oneretur, vel mendicorum copiâ repleatur. *Genevæ* coram consistorio coguntur rationes vitae suæ reddere, qui conjugium ambient, & qua arte, quibus mediis vitam sustentare possint. Alias à matrimonio prohibentur, aut post ejus consummationem urbe ejiciuntur. Hæ verò rationes non efficiunt, ut solennitate non observatâ matrimonium ipsum, quod sua essentialia habet, modo de illis verè constet, sit nullum, sed erit tantum non solenne, & illam omittens peccabit contra publicam honestatem & ordinationes Ecclesiasticas; adeoque puniendus, & adhuc omissas solennitates adhibere tenetur. Et hinc porrò deducimus, si quidam sponsalia de præsenti publicè celebraverint, & filium, antequam benedictio sacerdotalis accesserit, progenuerint, illum non esse illegitimum, licet morte alterius conjugis interveniente solennes nuptiæ planè non insecuræ fuerint; quam sententiam etiam favor partus adjuvat, qui in simili casu attenditur. Atque hæc sententia etiam confirmata ab Electore Saxoniæ dec. 40.

V I I I.

Dicitur in definitione præterea, *viri & mulieris*; Nam duorum ejusdem sexus conjunctio detestanda est, & lege Dei, lege naturæ, legibus tandem omnium gentium damnata. Ait, mulieris, ἐνυρῶς, ad excludendam polygamiam, id est, nuptias cum pluribus uxoribus eodem tempore contractas: nam successivè plures uxores habere, aut quod idem est, matrimonio ritè soluto, aliam ducere, prohibitum non est. Igitur apud Romanos vetitum fuit, plures uxores eodem tempore habere; quod aliorum quoque moribus improbatum: Raræ binæ simul

34 DISPUTATIO JURIDICA

simul in Occidente nuptiæ. Neque enim apud Romanos tantum constitutum fuit, ne quis binas eodem tempore uxores haberet, sed etiam apud Græcos, & quidem jam à temporibus *Ceropis Atheniensium* regis. Germanos quoque nostros singulis uxoribus contentos fuisse scribit *Tacit. de morib. German.* Multi verò sunt qui putant, duas aut plures uxores apud unam nuptas, non pugnare cum naturali ratione, cum apud plerasque gentes id licitum fuisse legamus; adeoque ipse Deus hanc polygamia speciem populo suo permiserit. Sed quod hæc legi simul divinæ atque naturali repugnant, paucis quibusdam rationibus nobis explanandum erit. Legi ergò divinæ primæque institutioni matrimonii contrariam esse polygamiam evincitur primum ex loco *Matth. 19. v. 8.* Nam argumentum, quo ibi Christus utitur aduersus divorrium, *ab initio autem ita non fuit*, nullas vires habet, nisi hanc majorem præsupponat; Ita in matrimonio se res debet habere, quemadmodum in principio fuit. Assume jam; Atqui initio duo tantum conjuncti fuerunt in carnem unam, *Gen. 2. sub. fin.* Ergò lege institutionis matrimonii duo tantum, id est, mas cum fœmina una conjungi debet. Eadem plane ratione & ex prima conjugii institutione licentiam polygamia damnat *Mala- chias cap. 2. vers. 14.* Præterea *Levitic. cap. 18. vers. 18.* polygania expressè prohibetur, quod summi Theologi & Hebrææ linguae peritissimi *Junius & Tremellius* firmissimis rationibus demonstrant, locum ex phrasi Hebræa ita vertentes; *Mulierem unam ad alteram ne assumento.* Tertiò cum cærimonialia præcepta in *Nov. Testam.* abrogata fuerint, quæcunque Apostoli præcepta tradidere, moralia esse constat, cum in politia, tum in œconomia, & à singulis observanda. Atque *1. Corinth. cap. 7. vers. 2.* monogamia præcipitur iis, qui matrimonium expetunt: non potest enim, quod vult Apostolus, unaquæque mulier suum proprium virum habere, si communem cum aliis in polygamia habeat. Quod autem morale est, id à singulis observandum, & perpetui juris est; adeoque & in *Vet. Testam.* obtinuit. Denique videmus primam conjugii institutionem sic exponi à Christo & Apostolo, ut duo solummodo in unam carnem coalescerent censemantur *Matth. 19. vers. 5. & 1. Corinth. cap. 6. vers. 16.* nec ante *Lamechum Cainici generis*

generis hominem quenquam legimus plures simul uxores duxisse : ex quo intelligimus polygamiam sicut & reliquas corruptelas paulatim irrepsisse. Quorsum enim hoc alias in *Lamecho* expressè notasset *Moses Genes. cap. 4. vers. 19.* Sed & communis ratio polygamiam damnat, primum quia mutuum conjugum amorem, quem singulares nuptiæ favent, dividit : deinde quia fidem violat, quâ alter alteri sese perpetua confuetudinis vitæ obligatione tradit, & corpus suum mancipat : unde meritò Christus pronunciat cum mœchari, qui vinculo prioris matrimonii non soluto aliam uxorem dicit, *Matth. cap. 19. vers. 9.* Postremò & ratio societatis exigit, ut quemadmodum uxor uni viro, ita vicissim vir uni uxori obstringatur & adhæreat. Quam obrem concludendum est nunquam in conscientiæ foro licitum fuisse, plures uxores eodem tempore habere; ac proinde patrum exempla, quos plures uxores habuisse legimus, nobis imitanda non esse : quoniam illorum polygamiam Deus non approbavit, sed toleravit duntaxat, aut indulxit, non lasciviendi, sed gignendæ piæ sobolis gratiâ, propter promissionem de semenis multiplicatione; sicut & in aliis quibusdam connivit, quæ cum primâ conjugii institutione, ad quam ea Christus revocat, non conveniunt. *Matth. cap. 5. vers. 32. & cap. 19. vers. 3. & seqq. Marc. cap. 10. vers. 4. Luc. cap. 16. vers. 18.* Peccarunt nimirum in hoc & ipsi patres, quanquam errore, potius judicii, non satis eruditâ conscientiâ, quam aperta improbitate, cum exemplorum multitudo effecisset, ut peccatum quandam rei indifferentis speciem induisset; quod Deus benigne eis condonavit. Atque hæc etiam est sententia *Innocentii III. in c. gaudemus x. de divorcio.* & communis Pontificiorum. Addendum hic aliquid etiam est de poenis: Jure prætorio apud Romanos bigamus infamis erat *I. 1. n. de iis qui notant. infam. I. 2. C. de iu cest. nupt. hoc est,* qui binas nuptias, seu bina sponsalia constituta habebat, commixtione carnali nondum subsecuta. *vid. preced. Sest.* Tum enim, qui sic peccat, stupri reus fit, *I. 18. C. de adulst.* cuius poenam declarat *Justinianus in §. Inst. 4. de public. judic.* Hodiè per poenalem *Carol. V. art. 12.* constitutionem, commutata fuit in poenam adulterii, seu gladii, quod in plurimis locis observatur. *Jure Hispanico* stigma fronti illorum imprimitur, quod quale fuerit ab initio,

DISPUTATIO JURIDICA

dubium est; hodie literam Q. pro signo tam infami receptam te-
stantur authores. Immò licet apud Romanos concubinatus ex-
trà legis penam esset: Tamen durante matrimonio, fas non erat
concubinam adjungere *l. unic. C. de concub. Paulus lib. 2. sent. tit.*
20. ne scil. injuria fiat uxori, mariti amore in plures diviso. Id
firmavit *Justinianus Nov. 18. cap. 5. vers. & hac.* permittens viro
cælibi, non marito, habere unam concubinam, *l. ult. in fin. C.*
commun. de manumittend. Sed hanc *Justiniani* licentiam *Leo Imp.*
repressit, & *Nov. 91.* constituit, ne Christianis concubinam ha-
bere liceat, præclaram rationem subjungens, indignum esse, cum
è fronte ipso aquam puram haurire possimus, lutulentam quæ-
rere; neque cuiquam difficile sit, sociam & consortem invenire.
Præcipit id ipsum lex Divina & Pontificia, sicuti jam audivimus,
ut quisque vitandæ scortationis causa uxorem ducat: Qua lege
omnis concubinatus, & coitus extrà nuptias improbatus est &
punitus; frustrà objicitur hic *c. is qui non habet dist.* 34. quia ibi
vocabulum concubina accipitur pro uxore, qui consensit in ma-
ritum, & ita matrimonium contraxit, sed quia Ecclesiasticis ce-
remoniis & precibus non fuit initiatum, & ita clandestinè factum,
quod pertinet ad Ecclesiam, quia apud eam non constat fuisse
contractum, pro non contracto habetur, cum verè tamen con-
tractum sit, *cap. ult. de clandest. despondat.* Videndum hac occa-
sione nobis quicquam erit de concubinis & in quibus concubina-
tus consistat: *Concubinatus est conjunctio viri & mulieris diuturnæ*
cohabitationis & concubitus gratiâ inita, citrâ affectionem maritalem.
Matrimonii & concubinatus differentia optimè eluet ex nuptia-
rum definitione suprà posita. Differt nimurum concubina ab uxore,
quod quidem etiam unica sit in consortium assumta *d. l. unic. C.*
b. t. l. fin. C. commun. de succ. l. 121. §. 1. π. de V.O. sed non in uxo-
rem & matrem fami. *l. 41. §. 1. π. b. t. l. 3. §. 1. de π. de donat. int.*
vir. & uxor. & vel libertina est, vel ingenua quidem, sed humili-
lis, vel quæ corpus prostituit *l. 1. §. 1. l. 3. pr. π. de concubin.* Hinc
dicitur in *l. 49. §. 4. de legat. 3.* quod uxor & concubina non nisi
dignitate differant *add. l. 3. §. ult. in fin. l. 46. in fin. de V.S. l. 67. §. 10.*
de legat. 2. l. 29. C. de adulst. Facilis & etiam fuit concubinæ repu-
diatio, cum & ipsa divortia ab uxore jure Romano, præsertim vete-
ri permittebantur.

IX. Con-

I X.

Concubitus igitur jure civili quidem permissus, seu extra legis poenam est *l. 3. §. 1. n. de concubin. l. 5. C. ad SCt. Orbit. Nov. 18. c. 5.* Sed non simpliciter approbatus; & hoc patet inde, quia liberi inde nati non sint legitimi, sed in specie naturales dicantur: à patre quidem alendi; in aliis verò à legitimis differunt *vid. t. t. de natur. lib.* Toto ergo cælo differunt, quod scilicet quid sit tantum permisum an verò approbatum: Jure Canonico concubina ab uxore non tam affectione maritali, quam aliquando nuda dignitate & effectibus; atque ipse concubinus, itidem eo jure permissus, à conjugio ferè quoad solennitates tantum videtur differre *c. 4. dist. 34. c. 11. 12. q. 2. xxxii. add. c. 1. 2. 6. dist. 33.* Affinitas tamen oritur ex concubinatu uti DD. communiter commentantur ad *l. 1. de concubin.* & illud hanc rationem videtur habere, quia ex omni quidem illico coitu ea proveniat, ergo multo magis adhuc ex hoc. Hodiè tamen Constitutionibus imperii concubinatus est prohibitus *Recess. Imp. de Anno 1530. 1548.* & liberi quoad effectum pro naturalibus haberi inde nati, qui alias ex soluti coniunctione cum soluta natu. Dicitum & positum ultimô loco fuit in definitione: *Individualium vita consuetudinem continens;* Quia semel conjugati; nisi legibus permittentibus separari aut dividi non possunt, sed perpetuò conjuncti remanent. Per quam differentiam concubinus excluditur: Etsi enim in concubinatu cohabitandi animus adsit, pénitente tamen dividique possunt, etiam sine causa si velint. Quod non est in matrimonio: nam qui matrimonio conjuguntur, talem habent animum, ut perpetuò convivere velint: scientes quod etsi eorum animus mutaretur, tamen, nisi lege ipsa censete; resilire non possint. Porrò legibus ita consentientibus aliquoties separantur conjuges, ex certis & arduis causis: qua in re variant jura; nobis tamen aliquid dicendum erit de iis in *hujus disputationis calce.* Sciendum tamen est, quod verbum hoc, *individualium*, duobus modis accipiatur: uno modo pro eo, quod commune adhuc est atque individualium,

sum, quo sensu individua hæreditas dicitur à *Modestino* in l. 32. §. 6. π. de adm. tut. & à *Paulo* individuum curæ officium l. 46. §. 1. eod. altero modo pro eo, quod dividi non potest, ut cum servitutes, obligationes, stipulationes individuas dicimus. Atque utraque significatio huic loco convenit: prima quidem simpliciter, ut ex iis, quæ mox dicemus patebit: altera autem secundum quid, videlicet respectu aliarum conjunctionum & societatum, quæ facile dividi, id est, separari, & pro arbitrio unius dissolvi possunt. Neque enim nuptiis passim renunciare licet: uti jam quodammodo amotavimus, sed pluribus id tamen adhuc faciemus, uti dixi. Verba etiam illa, *individuam vitæ consuetudinem continens*, sunt adjunctum proprium atque ex parte finis. Illis autem verbis existimo *Justianum* significare non tantum domesticam societatem & conversationem, sed etiam rerum quandam communionem & indivisum rerum omnium inter conjuges usum. Atque hanc interpretationem adjuvat *Modestinus* in l. 1. π. h.t. quæ à nobis *supr.* etiam sunt proposita; cum ait: *Nuptiae sunt conjunctione maris & famina, consortium omnis vitae, divini & humani juris communicatio*. Nulla enim res est, sive divini sive humani juris, quam conjux cum conjuge non communicet, cujusque inter eos, salva honestate conjugii, promiscuus usus esse non debeat. Unde *Gordianus Imp.* uxorem dicit suscipi *sociam divinæ & humanae domus* l. 4. C. de crim. expil. hæredit. Quanquam fortasse *Modestinus* & *Gordianus* cum ita loquuntur alio respiciunt, nempe ad sacra paganorum, quæ domi sibi quisque & familia suæ habebat, quorum siebat socia: meminit horum sacrorum *Cicero* 2. de legibus.

X.

Diximus *supr.* de consensu eorum qui nuptias ineunt, restringitur aliquando istorum contrahentium consensus ita, ut adhibendus quoque sit Parentum consensus; & quidem jure Civili filius, qui est in potestate patris, consensus ejus necessarium requiret, quō non adhibitō matrimonium erit illegitimum & li-

& liberi etiam illegitimi, pr. *Inst. b. l. 25. n. & l. 12. C. eod. l. 11.*
n. de stat. homin. nec ratihabitio ante natos efficit legitimos d. pr.
Inst. & l. 68. de jur. dot. Contrarium quidem videtur evinci
posse ex *l. 5. C. b.* verum puto ego, legem istam loqui non de
ratihabitione sed de consensu tacito. Sic etiam & moribus ob-
tinet, nam consensus est vel expressus vel tacitus exemplum po-
sterioris esse potest v. gr. ut quando pater audit trinam procla-
mationem (de qua dictum) & non contradicit, tum videtur
consentire: idem obtinet; si videt se osculari & alia fa-
cere, quae hic modestiae causa mitto, tunc etiam benedictio-
nem sacerdotalem impetrare possunt. Praetera etiam op-
poni solet, quod consensus subsequens retrò efficiat libe-
ros naturales legitimos. Att dicimus longè aliam rationem
esse liberorum naturalium ex concubinatu, licitā de *jur.*
Roman. quodammodo conjectione susceptorum; & illam
conjunctionem, quae fit absque patris consensi, quae est illici-
ta & liberi pro spuriis habentur arg. §. 12. *Inst. b.* Et sit sic
comparatio eorum, qui ex injusto matrimonio nati sunt, cum
iis, quos mater vulgo concepit, quoad patriam potestatem,
cujus solius rei gratia hic de nuptiis queritur; & neutri quoad
hunc effectum patrem habere intelliguntur; quoniam nemo re-
specti eorum, que sunt juris Civilis, filius intelligitur, nisi
qui ex viro & uxore natus est *l. 6. n. de his qui sunt sui vel alien.*
jur. Quid juris sit in filiabus vid. *l. 12. n. de sponsal. l. 7. 18.*
20. C. b. si nepos contraherè velit, non solum avi, sed patris
consensum impetrare debet, in cuius potestatem post mortem
avi recasurus est: quod si neptis nubat, solius avi consensus
sufficit *l. 9. l. 16. §. 1. b.* In contrarium quidam hic argumen-
tantur ex *l. 3 n. b.* Verum ibi non habetur, quod pater filii ad-
huc vivat, & solum proponitur casus singularis, quo idem
avus consentit, & in sponsi & sponsae nuptias; neque ullum
subest periculum ut indignus adgnascatur sibi heres, cum sint
ejusdem familiæ. Jure vero naturali non de necessitate, ut lo-
quuntur, sed de honestate exigitur add. *l. 1. §. ult. n. de liber.*
exhibend. Jure Canon. sponsalia quidem sine parentum consensu
inita nulla existinamus, sed nuptias consummatas omnino sub-
sistere

40 DISPUTATIO JURIDICA

sistere c. 1.3. q. 5.30. c. 31. q. 32. c. 6. de Condit. appos. c. 6. de nupt. c. 2 quæst. 2. 27. accipienda hæc tamen sunt de publicis non de clandestinis sponsalibus; & idem ferè moribus obtinet. Neque firmat juramentum sponsalia absque consensu parentum inita. Per ratihabitionem tamen parentum convalescunt hodiè sponsalia & nuptiæ. Parentibus defunctis avi aviaque consensus est necessarius. Non verò curatorum & agnatorum, nam non pertinet ad curatoris officium, nubat pupilla, an non, cum officium ejus in administratione rei familiaris consistat l. 20. π. b. t. ubi *Divi Fratres* rescriperunt, ad officium curatoris administrationem pupillæ pertinere, nubere autem mulierem sui juris, suo arbitrio posse. Quod si puella nondum 25. annos nata, sub curatoris defensione constituta, inter honestos matrimonii competitores oriatur fortè certamen, ut queratur, cui potissimum conjungenda sit, & illa per verecundiam propriam, noluerit voluntatem depromere & virum sibi eligere, judex decernet, cui melius adulta societur, l. 20. eod. Immò quandocumque inter tutorem & patrem & propinquos de eligendo futuro marito pro pupilla non convenit, arbitrium judicis necessarium est, l. 1. b. t. nisi pater, dum viveret filia maritum destinaverit, cuius judicium tutoribus sequendum. Adhiberi quoque debet consensus parentum secundum ordinaciones quorundam locorum Ecclesiasticas etiamsi majorennes & patria potestate liberati; vid. de hisce Carpzov. defen. 41. 45. 49. 58. &c. Non tamen cogendi sunt liberi à parentibus, ut cum hâc vel illâ personâ conjugium ineant l. 21. π. b. Et aliquando etiam ob causas justas l. 12. §. 1. b. t. immò & aliquando sine parentum consensu liberi contrahunt matrimonium (1.) Si parentes consentire nequeant l. 11. π. b. l. 25. C. eod. (2.) si injuriâ dissentiant & prohibeant. l. 19. b.

X I.

Antequam ad cætera perveniam, unica adhuc quæstio hic proponenda erit, nimirum: An consensus matris ad nuptias liborum requiratur? & an jus civile è in re satis æquum sit? Jure ci-
vili

vili in liberorum nuptiis consensus eorum duntaxat parentum, in quorum potestate sunt liberi, requiritur, *pr. Inst. h. l. 18. l. 35. eod.* non itaque matris *arg. §. 10. Inst. de adoption. §. 3. Inst. de hered.* qualit. & different. Nec aliud suadent *l. 1. & l. 20. C. b. t.* Quia de illius pueræ nuptiis loquuntur, quæ nimio verecundiæ cultu ducta animi sensa non exprimit, sed totum negotium proximioribus necessariisque suis relinquit: ut mittam prædictas leges non tam de consensu sine quo nuptiæ non consistunt, quam consilio atque arbitrio, ut melius sese habeant, adhibendo, intelligi. Ast, quibus hoc jus non satis æquum piumque videtur, objiciunt decalogi illud præceptum: *Honora patrem tuum & matrem tuam &c.* cui convenit *l. 6. π. de in jus vocand. in verbis: una est enim omnibus parentibus reverentia.* Verum Resp. ex honore & reverentiâ parentibus debitâ hanc rem præcisè non dependere; non tandem eandem matris ac patris in liberos potestatem esse; ne quidem jure naturali & morali divino inspecto: sexum muliebrem propter judicii sui imbecillitatem hujus potestatis omnino incapacem esse: ac proinde, licet rationes naturales præcedenti quæstione allatae in matre etiam militare videantur; revera tamen nihil evincere, cum huic juri sustinendo impar & inidonea sit: *Quippe varium & mutabile semper fæmina.* Præterea mulieres sæpius adversus propria commoda laborare, *l. 4. in fin. C. de sponsal.* in perniciem substantiæ suæ deduci, *§. 1. Inst. quib. alien. licet vel non.* Ex reverentiâ duntaxat consilium & arbitrium provenire; non autem facultatem nuptias liberorum ex defectu consensus, quasi ipso jure nullas, dirimendi: Præceptum illud: *Honora patrem tuum & matrem tuam:* ad hanc peculiarem potestatem nullo modo extendi debere; alioquin eandem competituram cunctis qui annis vel auctoritate nos præcedunt, cum ex communi Theologorum sententia illi omnes præcepto contineantur. *Quod de Ismaele dicitur ex Genes. cap. 21. & Samsoni Judic. cap. 14.* nihil movet; cum ultrò fatear æquum & pium esse, matris quoque consilium & arbitrium in nuptiis attendi; dico tamen ex eo inferri non posse ex defectu materni consensus nuptias nullius momenti & liberos ex iis progenitos illegitimos esse, aut unquam fuisse. Si dicas consensum matris nuptiis liberorum adhiberi honestum esse, ergo &

DISPUTATIO JURIDICA

necessarium, arg. l. 179. π. de R. f. Resp. tunc aliam honestatem suaderi: aliam præcipi, arg. i. Corinth. cap. 7. in princ. & vers. 25. de priori autem intelligi debere quod dicitur in d. l. 179. π. de R. f.

X I I.

Sequitur autem ex formalis ratione ejus, quod efficit matrimonium & supr. in hac Section. explicatum est, quod qui non consentiant, nec matrimonium contrahant: Confensūs autem duo sunt principia, in intellectus & voluntas: hæc verò deficiunt (1.) in furiosis l. 8. π. de sponsal. add. l. 16. π. §. ult. b. t. l. 12. §. 7. π. solut. matrim. (2.) Extremè ebriis, secus si paulò plus quis adhiberit. (3.) Cæco amoris impetu ductis, ita vulgaris quidem interpretatio DD. fert, sed puto ego & est multorum Doctissimorum Virorum sententia; hanc causam non sufficere, & ratio: quia omnis amor cæcus dicitur, immò etiam plurimùm justus; illa enim ratio si sufficiens foret ad rescindenda matrimonia, quot & quæ quidem non dissolverentur: Hæc verò tunc procedere arbitror, si philtro forte, hoc est, poculo amatorio seductus quis esset ad amoris furem. Intellectui autem ac cognitioni glaucoma objicit I. error, & est ille vel circa ipsam personam, & vitiat matrimonium, vel circa ejus qualitates, easque aut ad essentiam matrimonii quodammodo pertinentes, ut: (1.) error circa potentiam generandi. (2.) circa virginitatem. (3.) error circa qualitates ob legum ordinationem necessarias, ut circ. statum & necessitudinem. Aut omnino accidentales, ut divitias, formam. (4.) Dolus si nimirum eo fuerint inducti: Voluntati etiam officit vis atque coactio, sed de hisce omnibus & singulis nobis aliquid dicendum erit.

X I I I.

Verum antequam ad ea progrediamur in hac thes. explicabo quodammodo; quâ ætate tam viri, quam mulieres nuptias iniire debent. Diximus in Sect. i. de hisce aliquid: quâ verò ætate, tam animus, quam corpus ad contrahendas & complendas

das nuptias, sat roboris adquirat, nobis hic paucis inquirendum incumbit: In jure digestorum fæminis quidem 12. annum præfinitum invenimus, *l. 9. π. de sponsal. l. 4. de ritu nupt. l. penult. §. 3. quod fals. tut. gest. maribus* verò nihil cautum est nec annotatum à *Sueton. in Augusto cap. 34. Dion. lib. 54.* Sunt qui putant præcisè fæminis nubendi copiam factam post annum 12. & maribus 14. *pr. Inst. quib. mod. tut. fin.* Sed loquitur *Justinianus* ibi tantum quando pubescunt scil. & terminus iste ab *Imp.* præterpropter positus est, & à *Canonibus*, juncta corporis habitudine confirmatus; & sic consuetudo obtinuit contrà legem: lex enim *Papia ante 25. etat. annum*, ad mulieris justum amplexum, neminem invitabat, nec poenas cœlibum ad eos, qui 25. annum nondum attigissent, extendi voluit. Majores etiam olim nostri, intra annum vigesimum fæminæ notitiam habuisse, in turpissimis habebant rebus, teste *Cæsar. lib. 6. bell. Gall.* Tardius enim quoque apud nos fæminæ pariunt, tardius mulieribus erumpunt menstrua, & tum in his, tum in viris pubertatis lanugo tardius se prodit, ob regionem & victimum frigidorem. Ponatur verò, naturam adeò præcocem esse, & masculum *circ. 14. foeminam circ. 12.* aptam præstrare Veneri. Non iccirco quorundam valet argumentatio: Provolandum esse ad matrimonia, ne fecerit natura istam aptitudinem frustra. Romani eâ ætate civibus suis matrimonia permiserunt, quæ natura apta esse creditur ad generandum; maribus post annum decimum quartum, quo tempore ipsam ætatem necessitate pubescere, & vim generationis moveri incipere, scribunt *Medici*: fæminis autem biennio maturius, quia post annum duodecimum virum pati posse creduntur *l. 4. π. h. l. 10. π. de condit. & demon.* cuius diversitatis si quis rationem querit, adeat *Aristotel. lib. 4. de gen. animal. Macrob. 7. Saturn. 7.* & hanc quæstionem Medicis relinquo; quare scil. citius pubescant fæminæ; ut & an fœmina sit frigidior viro; & cur tardius perficiatur fæmella in utero quam extra: nec est nostrum ea inquirere, secundum illud; *sutor ne extra crepidam*: imprimis quoniam brevitati, quantum fieri potest, studemus. Ab illa autem determinatione legitimæ & matrimonio contrahendo idoneæ ætatis longè

recedit *Plato*, qui lib. 4. & 6. de legib. tricesimum annum masculis præscribit: longius etiam *Aristotel.* 7. qui eos demum conjungi vult circa annum 36. fœminas autem anno 18. Juris Pontificii authores pubertatem metiuntur ex potentia coëundi, & non adeò ex numero annorum c. 3. §. fin de sponsal. impub. Nos solemus sequi definitionem juris Civilis, quæ et si non in omnes, in plerosque tamen quadrat, & Medicorum ac Physicorum auctoritate falcitur. Raro tamen hâc ætate apud nos, præsertim masculi, matrimonio junguntur. Nam ad nuptias admittendus non est, qui nescit familiæ præesse, & uxorem cum prole sustentare. Esset etiam alias contra Medicorum regulam, qui dicunt: *Naturam, si probè agat, sequendam, si improbe, corrigendam.* Si enim priùs alicui Venerem maturet, quam ingenium, prius aptum faciat ad dormiendum in thalemo, quam laborandum in domo, nec ad suam intentionem conformiter operatur, nec id agit, quod cum hominis salute, & Reip. commodis fieri queat. *Hesiodus* enim ἡρώτον μὴ διον, deinde uxorem queri jubet; & *Plato* adigi quidem vult cives, ut ad nuptias intra 35. annum animum inducant, sed si priùs rationem vivendi certam inierint lib. 6. de ll. *Cretenses* adultam ætatem affecutis nuptias permittebant, sed si puellæ priùs rem familiarem curare didicissent, *Strab.* test. lib. 10. *Germani*, si juvenis hostis caput amputatum ad Regem pertulisset *Strab.* lib. 15. *Genevenses*, etiamsi post annum 18. à nuptiis neminem depellant, tamen, si non habeat, unde vivat, post initas nuptias, à civitate sponsum dejiciunt, ne mendicis enervetur Respubl. Qui igitur salutares & familiæ suæ & toti Reip. nuptias contrahere cupit, eum oportet ejus ætatis esse, ut uxorem regere, familiæ præesse, liberos educare, & singulis hisce, non tantum victu & amictu, sed & compendiis totius vitæ, prospicere possit: Permittuntur itaque nuptiæ anno 12. & 14. completo, possunt tamen etiam ipso natali die iniri argum. l. 5. π. qui test. fac. poss. Ante autem contractæ jure sponsaliorum valent l. 9. π. de sponsal. Jure Canonico à Civili recessum videtur, dum illud pubertatem non tam ex annorum numero, quam potius habitu corporis & aptitudine generandi æstimat (uti diximus) adeoque si malitia supplet ætatem, etiam ante XII.

annum

annum nuptias admittit cap. 3. 8. & seqq. cap. fin. x. de sponsis impub. Et quemadmodum à conjugii sacrario jussi sunt abesse pueri & adolescentuli: Ita eadem occidimus senibus. Illis, quod nondum propter defectum etatis sint inaugurati, his, quod jam rude, & gratiosa munerum quiete, donati, spolia opima marinæ Deæ suspendere debeant, cum hac inscriptione:

*Vixi puellis nuper idonens,
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma defunctumque bello
Hunc gladium paries habebit
Lævum Marīna qui Veneris latus custodit.*

Horat. sic lib. 3. Od. 26. Dicitur etiam in recepto adagio: *Bis pueri sunt senes.* Cur ideo non idem statuendum in senibus, quod diximus & disputavimus de pueris: vid. *Ovid. Eleg. 1.*

*Qua bello est habilis, Veneri quoque convenit etas,
Turpe senex miles, Turpe sensilis amor.
Quos petiere duces annos in milite forti
Hos petit in socio bella puella thoro.
& alibi etiam dicitur:
Militat in teneris annis amor hospes amoenus,
Est in canitie ridiculosa Venus.*

Multum enim convenit amori cum militia & militat omnis amans. A militia quidem sexagenarius dimittitur, *Lucian. in Tyrann.* quo facit *Juvenalis in Satyr. 14.* Ut locupletam Aquilam tibi sexagesimus annus afferat. Non tamen prohibetur sexagenarius cum juvenula inire matrimonium, *Carpzov. I. Pr. Conf. lib. 2. def. 13.* Sciendum quoque hic de *Hermaphroditis*, quod iis non permittendum matrimonium, nisi ex inspectione de sexu prævalente constet *arg. l. 10. m. de statu homin.* Dividitur quidem ab auctoribus senectus in tres classes, *viridem, declinantem & decrepitudinem* scil. verum omnia in *Disputatione tractare non possumus.*

X I V.

Nunc de ignorantia quicquam dicendum venit: & quantum

DISPUTATIO JURIDICA

ad ignorantiam totalem, certum est, cum errant, quatenus errat, nulla sit voluntas, quod sponsalia vel matrimonia inter ignorantes contracta, non subsistant, quia matrimonii substantia consistit in consensu, uti declaratum fuit, & consensui nihil tam contrarium est; quam error, qui imperitiam detegit. Ex quo infertur pluribus hic, quod *supr.* digito tantum demonstrauimus: Eos, qui praे furore, aut ebrietate, sibi non constant, aut propter absentiam, notitiam non habent personarum, quæ insciis obtendentur, aut dolo malo in pœnitenda inducuntur conjugia, non obligari, quia non consenserunt, nisi defectum consensus subsequenti ratihabitione suppleant. Ac de furiosis quidem plana res est, cujus rationem assignat *Paulus in l. 16. π. de sponsal.* quia consensu opus est; quô furiosus prorsus destituitur, quippe, qui brutis æquiparatur *l. 5. π. ad. leg. aquili ignorantibus l. 12. π. de reb. credit.* absentibus *l. 1. §. 12. π. de O. & A.* & infantibus *l. 12. π. ad leg. Corn. desicc.* qui nec suus est, nec scit quid agat, nec sensum illum habet, sed omnia ejus acta æstimantur, non secus, ac fortuitò an casu facta & cum effectu non geruntur, in iis, quæ consensum exigunt, ut patet in testamenti confectione & homicidio &c. nisi furor det inducias, & sub tempus induciarum animus furioso redeat. Tum enim ut testamentum condere, ita & nuptias contrahere potest. Nam & homicidium per dilucida intervalla perpetratum punitur, tanquam à rationis compote commissum. Quod si tamen à furore instet periculum vitæ, ac metuatur defectus prolis, adquiescendum videtur consilio *Ulpian.* quod licet alias ob furorem matrimonium non solvatur *l. 18. de spons.* & quod nihil tam sit humandum, dicente Ulpiano, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse: hisce non obstantibus puto egò, propter periculum & metum adulterii licere mentis compoti, personæ furenti nuntium remittere, adeoque multò facilius sponsalia dissolvere, quod & multis interpretes placet: Nam & ad procreationem sobolis ineptum furiosum censet *Leo Const. III.* & nihil dicit ipsum exhibere uxori, præter miserum spectaculum, solo aspectu horrendum, quo intuitu fieri non potest, quin animi dissocientur; reliqua incommoda quæ Reip. inde

inde postea eveniunt prætereo ; quot verò quantaque illa sint nemini quidem dubium est. Hæc quidem argumenta non procedunt contrà ebrium , aut amore dementatum , quippe , qui , postquam crapula disjecta est , & affectus deseruit , ad sese redeunt : verùm prima & præcipua ratio hic non minùs militat , quam pro furioso , quia uterque affectus eò procedere solet , ut rationem pervertat , consilium excutiat , & ut ait *Augustinus* : auferat memoriam , dissipet sensum , & confundat . *Ubi dominatur ebrietas , ibi furor est & mentis oblivio.* Quod si ex circumstantiis tanta ebrietas , aut juramento probari possit , non est dubium , quin propter ignorantiam liberet à matrimonio , si pœnitentia sequatur ; de hisce plurimis non dicam , sed conseruo ad supr. posita . Contingit porrò , ut multi quoque sana mente errant , aut ignorent , vel dolo inducti , vel negligentia decepti , qui , quia in parte tantum & non in integrum errant , non videntur plenam mereri excusationem ; & in hunc finem *Scholaſtici* , *Canonifſta* & quidam etiam *Legiſta* vulgo constituunt quatuor erroris species : *In corpore* , *condiſione* , *fortune bonis & qualitate* . Nobis commodius videtur distinguendum esse , scil. conjugii alia *ſubſtantialia* , alia *accidentalia* , quorum numerus finitus non est . In illis si erretur conjugium non tenet , quia sine ſubſtantia res non ſubſiſtit . Consensus verò , qui matrimonii ſubſtantiam constituit , includit ea omnia , quæ ad comprehendam ejus eſſentiā ſunt neceſſaria .

X V.

De persona verò seu corpore res diſſicultate caret , quia elec-
tio potiſſimum fertur in personam , & *Ulpianus* ſcribit l. 9. §.
1. π. de contr. empt. l. 4. in pr. π. de legat. 1. *Si in corpore erratum*
fuerit nibil deberi ; quod etiam *Ancharanus* probavit cons. 229.
ubi *Regis Cypri* conjugium nullum pronuntiat , quod ejus pro-
curator , licet à Domino jussus , contraxerat cum *Caja* filia se-
niore ducis *Mediolanensis* , cum eo nomine putaret appellari na-
tu minorem , quam thoro ſuo desponderat . Bonus Patriarcha
Jacobus tamen adquiescit dolo ſoci , qui ipſi *Leam* ſuppoſuerat
pro

pro Rachele *Genes. cap. 29.* de jure suo remittens. Nam licet ex lege *Mosaica* virgo compressa à stupratore ducenda sit. *Exod. cap. 22.* & *Lea* post concubitum ex hac lege, manendum fuisset in thoro *Jacobi*: tamen *Jacob* stuprum nullum commisit, quia ipse se commisicuit *Lea* eo animo, quasi cum legitimè sponsatà conjugē rem habiturus, quippe, cum orto demum sole fraudem deprehenderet, & *Lea* simili affectu ipsi respondit, consuetudine loci, quæ secundò natam prohibebat primogenitæ præferri, & imperio paterno, se satis tutam æstimans. Nihil igitur causæ supereft, quam propter *Jacob* retentione *Lea* puniri debuisset; sed potius reddenda fuisset pœna *Labano*, propter dolum, quo se defraudatum fuisse, ipse *Jacob* confitetur *Gen. cap. 31*. Hoc loco aliquid etiam dicendum crit de iis qui possint, vel non, contrahere matrimonium: non morosè hic distinguum nomina Spadonum, Castratorum & Eunuchorum, cum Spadonum nomen plerumque generale sit *I. 39. l. 4. §. 1. idem Divus ad leg. Corn. de fac. l. 128. in pr. de V. S.* Sed rem ipsam describendo, quibus virilia exacta sunt, aut ita confusa, aut à natura distorta, ut spes omnis prolixi generandæ præclusa sit, eos à conjugio prorsus arcendos censeo, ut & eos, quibus testes tantum sunt exceti, remanente nervo, quibus tamen matrimonium nequaquam denegandum putat *Alciatus*, quia coire possunt. Verum coitus accipiendus est cum effectu, siquidem ad procreationem sobolis dirigitur, quam abeo, cui testes exceti sunt, frustra expectaveris: Et sterilis illa titilatio Venerem magis excitat, quam excitatam non satiat, tam in Eunucho quam muliere, ut meritò dicat *Ecclesiastes cap. 30*. *Qui profligatus est, hic oculis aspicit & ingemescit, &c.* Accedit, quod impediat propagationem sobolis in facunda muliere, cuius corpore invanum abutitur: quod adulteriis viam aperit, dum mulier aliunde querere cogitur, quod domi frustra speravit, sicut in fabula *Luciani*, Cubani uxor seipsam mala morte multavit, quod virum audiisset esse eviratum. Denique eludit benedictionem divinam; qui scit sibi frustra dici hæc verba: *Crescite & multiplicamini.* Et hæc procedunt de iis, de quorum restituzione prorsùs desperatur: quorum, *nuptias inuptas* vocat *Leo*, γάμου ἀγαπον

ἀγαπούσος, & impediendæ sunt, etiamsi ex bona conscientiâ ab utraque appetenterunt, quia non est audiendus perire volens *l. 6. π.* *de appellat.* & contrâ voluntatem privatorum impedienda sunt, quæ publicè nocitura videntur. Qui verò paralyssi aliqua, aut morbo non insanabili partium naturalium detinentur, à conjugio repellendi non sunt, quod etiam de frigidis & maleficiatis ex eadem ratione asserimus, quia & restituti sunt sæpe, & restitui possunt. Et rectè consulit quidam, non posse dirimi conjugium, ad quod maritus dicebatur ineptus esse, eò quia præ verecundia, aut alia de causa, expectationi conjugis primis noctibus non satisfecisset. Sed de his & aliis vid. *Bez. de divort.* qui etiam de illa quæstione agit: Utrum si error sit in nomine, cum constet de corpore, matrimonium teneat, de quo simpliciter pronuncianendum cum *Ulpiano in l. 3. pr. de legat.* *l. 1. l. 9. §. 1. de contr. empt. si quis in fundi vocabulo erravit, & Cornelianum pro Semproniano nominavit, debebitur Sempronianus*; sed in hâc quæstione diutius non morabor cum & alia adhuc proponenda erunt.

X V I.

Una ex qualitatibus essentialis etiam hæc est, ut nuptum danda ab alio præter scitu ducentis non sit vitiata vel imprægnata: Nemo enim tam extrâ honestatem projectum animum gerit, ut adulteratum aurum sibi patiatur obtrudi, cum stipulatus *eſet purum & obryzum.* Si quis vendat aurum, sed deterius, quam empor putasset, *Paulus* emptionem valere scribit. *l. 10. π. de contr. emtion.* quia, ut de aceto & vino acuente censet *Ulpian. in l. 10. §. fin. eod.* actio tamen decepto datur de dolo ad interesse *l. 13. §. si venditor π. de act. emt. & vendit.* quia damnum in hoc casu præstari potest; quod si præstari non posset, propter dolum nihil actum fuisset. Jam verò surreptæ virginitatis quô pretiō æstimabitur? Quid verò, si aliud pro alio venditum sit? *Ulpianus* negat, emtionem valere *d. l. 9. in fin.* Virgo verò licet in persona non differat à muliere, differt tamen essentiali qualitate, quoad conjugalem consensum, quia si sponsus scivisset vitiatam fuisse mulierem, non duxisset. Hebræi vocant stupratam, humiliatam *Jud. cap. 19.* quia de statu, ex lege *Deut. 22.* dejicitur, fit infamis & serva pœna. Conjugium autem omne ex præscripto Apostoli *Hebre. cap. 13.* debet esse honorabile. Stuprata verò se reddit infamem. Constat igitur hinc, quod copula extrâ conjugium sit illicita,

50 DISPUTATIO JURIDICA.

adeoque virginitas ad matrimonium usque servanda , & quasi tacitè de illa matrimonium ineuntes sibi invicem dent fidem : hinc meritò sponsus à sponsa & vice versà sponsa à sponso , virginitatem exigit : unde si tentata reconciliatione sponsus gratiam huic , tacitæ dati , fidei violatæ facere nolit , rescinditur matrimonium : Ratione sponsi verò ob istam causam matrimonium haud rescindi permittitur . Resertur quidem quoque ad errorem qualitatis à Gratian : Si quis ab alio devirginatam imprudens duxerit , quod eandem repudiare non possit : cui rei causâ est , quod ob matrimonii substantiam virginitas preciè non requiratur , cum etiam illud cum viduâ vel corrupta contrahi possit . Unde quidem aliud non consequitur , quam quod ad solam illius qualitatem accidentalem pertineat , adeoque errore hoc præsente matrimonium ipso jure subsistat . Verum ultima hæc non placent sed potius Leonis sententia in Nov. scil. 13. expressa . Et licet aliás imprimis verò id tunc obtinet , si constiterit defloratum virginitatis decus mentitam esse , & illius intuitu adolescentem matrimonium cum illâ appetivisse , ex quibus de dolo majori constare possit .

X V I I .

Ulterius hic nobis dicendum erit , uterum devirginatio signis certis prægnosci queat : Difficulter probari devirginationem , quis audet negare ? nisi utero gerat mulier . Nam , necessariò ait Ciceron 1. de Juven. si peperit , cum viro concubuit . Quod si etiam septimo mense uterum exoneret , propterea violati pudoris accusari nequit , quemadmodum Gerardus Comes Holstiae Annam , Marchionis Badensis filiam domum remisit , tanquam neglectæ pudicitæ convictam ex eo , quod septimo mense peperisset . Nam & septimo mense legitimum edi partum propter autoritatem magni Hippocratis credunt JCTi . Absque imprægnatione ergò difficile est virginitatis aut integræ , aut delibatae invenire indicia , nisi de eo constet ex stupratæ vel stuprantis confessione . In criminalibus enim probationes sole clariores requiruntur *I. ult. C. de probat.* quibus res matrimoniales comparantur : cætera quæ afferri solent , conjecturæ potius sunt , aut suspiciones sine ratione , quam firmæ probations . Hinc meo quidem judicio , si jam pridem corruptio facta sit , imprægnatioque nulla fortassis subsecuta sit , nec in vulgus de sponsa quicquam emanavit , præterquam quod devirginationis probatio difficillima sit , *uti aliquo modo jam diximus* , sponsus

INAUGURALIS.

51

sus proculdubio prudentius egerit, si injuriam dissimulaverit, quam nemine alio opinante turpitudinem propriam allegarit. De lacte apparente in mammis virginum, variæ sunt sententiae: Nam *Fabius lib. 5. Inst. Orat. cap. 9.* signum necessarium esse putat corruptæ virginitatis, si lac appareat in mammis. *Menoch. lib. 1. præf. q. 3. n. 1.* pro naturali refert præsumptione, quam violentissimam vocat, quia vim solidi argumenti habet, & necessitate quadam cogentis. In contrarium alii verisimilem tantum conjecturam desumunt ex lacte mammarum, quibus adstipulatur ratio & auctoritas Medicorum. Conspicuè enim supponit Hippocrates *lib. 5. Aphor. 39.* mulierem lac emittere ex mammis, etiamsi nec gravis sit, nec peperit, cuius rationem assignat, quia menstrua defecerunt. Sicut enim dicente Phavorino apud *Gell. lib. 12. cap. 1.* sanguis instantे partus tempore, in supremas se partes profert, ibique à spiritu multo & calore mammarum exalbescit: explicante Galeno in *com. d. aphor. 39.* fieri potest, ut per destinatas à naturā vias sanguis stagnans, ad superiora regurgitet, & ab eadem causa efficiēt eandem fortiatur formam. Quod confirmatur eo, quod *Cardan. de subtil.* cognitum sibi scribat virum 34. annorum, qui infantem lactare potuerit, quod & *Dodon. in Observ.* tradit, & *Alex. Bened. lib. 3. cap. 4.* lac scil. prolatum in viro ex eo, quod filium post mortem matris vagientem sæpius uberibus admovērit. Idque probat *Aristotel. de hist. animal. cap. 20.* exemplo caprorum in *Lemno* insula & caprarum non prægnantium in monte *Oeta*, ubi pastores urtica, tam diu perfirant ubera earum, donec dolore & calore sanguis attrahatur. Alterum, idque indubium virginitatis signum constituent in *hymene*, quæ Medicorum olim conclamata sententia erat; & qui omnes hymena agnoscent membranam in medio perforatam, suprà orificium arethræ, ex cuius ruptura putant cruentari linteum: Nec valde solliciti fuerunt Anatomici in detegendâ naturâ hujus partis, neque post etiam, & forte in communi errore errare maluerunt, quam diligentius in odiosam hanc & secreto loco particulam reconditam inquirere. Dicitur, & multum olim dictum fuit, de *Zona* virginitatis vulgo, nec tamen ullam membranam sive in demortuis sive in vivis pellulis etiam ex utero demortuarum exectis unquam invenerunt. Cæterum caruncularum lateribus suis conjectarum cincturam suprà orificium vesicæ deprehendi, quæ coaceat illic

G 2

cer-

52 DISPUTATIO JURIDICA

cervicem universam uteri , & in aliis facit angustiorem , in aliis laxiorem , ad eam fere faciem (particulam quamquam notat in pudendis mulierum) virorum præputis similem . Nam sicut hujus frenum coitu crebro solvitur , nec sine dolore , donec tandem evanescat , ita & juvenculæ ob angustum ingressum si ne dolore virum primum non admittunt , nisi affluxu sanguinis , aut humoris Zona diffundatur , aut major sit osculi ejus amplitudo , quam membra virilis : Crebriori verò attritu , & quia humore mucoso , ex utero destillante , frequenter perfunditur , subinde dilatatur , & carunculæ divulsæ in quatuor angulos abscedunt , quarum vestigia licet etiamnum observare in devirginatis . Et hinc etiam constat , nullum certum ex hymene indicium desumi posse , multò minus sanguinis profusione semper expectandam esse , cum etiam sine convento con gressu virginalे claustrum à non prorsus violento insessore appeariri possit . Ubi enim partes dilatantur , nec violenter vena per rumpitur , sanguinem effundi necessarium non est . Constat pariter ex dictis , quantum deferendum sit verbis & fidei obste tricum , ad probandam pudicitiam subornatatum . *Hebreos* enim solitos virginitatem explorare per obstetrics uti ex narratione *Suidé patet in explicatione nom. Iesu* . Ubi ablegatas scribit mulieres ad inspiciendam beatam virginem *Mariam* , utrum sine con gressu viri concepisset , & illæsa virginitate peperisset . *Cyprianus* quoque virgines Deo dicatas per manus obstetricum tentari jubet lib . 1 . Ep . 10 . cap . 27 . q . 1 . c . proposuisti de probation . & Ro mani dabant negotium ventris inspiciendi iisdem l . 1 . n . de vent . inspic . Verum , ubi nihil est , quod inspicere possint , nec ipsæ quid inspicere debeat , intelligunt , frustra earum operâ uti . Et *Cuiacius* lib . 17 . observ . 27 . nunquam hujus rei arbitrium delatum affirmat obstetricibus , cuius assertio à multis probatur . Nam , quod Doctissimi & diligentissimi Anatomici , aut igno rant prorsus , aut non nisi dubitanter asserunt , quî cognitum fuerit mulieribus , de his rebus judicantibus , ut cæci solent de coloribus . Id porrò quod cognoscendum proponitur , tot vi cissitudinibus obnoxium est , ut sive contractum inveniatur , si ve dilatum , non nisi levem præbeat præsumptionem , nedum ut in re tanti præjudicii evidens probationis loco esse queat . Sed hæc medica sunt & non juridica ; ideo ea iis non mihi de sendenda

fendenda relinquo. Quapropter minoris momenti cætera signa, in quibus Philosophi sibi placere solent, prætero.

XVII.

Progre diamur nunc ad reliquos errores, qui explicatione adhuc indigent: Et (i.) quidem de pulchritudinis requisito; & num ejus ratio in ducenda uxore habenda sit? Certissimum hoc est, quod quis non teneatur consentire in sponsam malè educatam: Verum ubi semel consensit, etiam per errorem morum, non datur amplius penitendi locus, quia error tantus non est, qui vergat in disturbancem matrimonii: Amor quippe stabilitum est conjugii & in consensu præsupponitur, sive in affectione maritali, quæ conjugium constituit. Amor autem, definiens Platone, est desiderium pulchri. Cum igitur conjugium non subsistat sine amore, nec amor sine pulchro, decipi constat amorem ejus, qui ranam arripit pro *Diana*; debet itaque corporis pulchritudo quidem spectari, & Christianis etiam fas est delectationem in conjugio querere; sed est ferè semper instabilis amor, cuius fundamentum solum est fugax pulchritudo; imprimis mores sunt spectandi ante formam.

XIX.

Error præterea circa divitias etiam non vitiat matrimonium, & hoc facilè est decernere ex ante dictis. Nam si tam parum ad integratem conjugii faciunt bona fortunæ, ut ne spectata quidem à contrahente præsumantur, & sic quod extrà contractum est nequit ipsum vitiare, simul hinc apparet, quid statuendum sit de opinione eorum, causam divortii afferentes etiam hanc, si promissa dos non solvat *arg. l. ult. n. ad SCrum Vellejan.* Lex enim illa non loquitur de jure, quid fieri liceat, sed de facto quid fieri soleat. Si enim hæc causa separaret nuptias, cur non afferatur ab *Imp. in l. consensu C. de repud. Nov. de nupt. & Nov. ut sic. matr. & av. Nov. III. 112. Leon.* Nec verò separare potest coniuges, quod eorum conjunctionem non potest impedire. De dolo hic etiam paucis: Mendacium enim & surreptio, quod non dissolvant contractum matrimonium, satis notum est; quod acceptamus, si incident circà accidentalia contractus, quia non omnis leviculus dolus contractus vim tollit, sed is demum, qui in ipsam ejus essentiam vergit, ut si libertina, ut senatori nubere posset, pro ingenua sese venditaverit, *l. 58. n. b.* Interim, quicquid

54 DISPUTATIO JURIDICA

Si de valore harum nuptiarum, nonnunquam feliciter cedit, quicquid dolo procurator, aut vi, non tantum, quod simplicitatem suam pars læsa deceptam, & contemtui habitam indignabitur, animumque pariter dolosum in reliqua vitâ & moribus præsumet: verum etiam memoria doli semper ingenerabit impatiensi animo suspicionem de improbitate decipientis, quia cui apertâ licet viâ progreedi, quid insidiosos agat cuniculos? Nulla quippe injuria profundis subit animum, quam profecta ab eo, à quo nefas putassemus, quicquam mali expectare.

X X.

Hactenus dictum est de errore, qui opponitur cognitioni seu intellectui, uni principio. Sequitur coactio, quæ opponitur alteri principio. Ea duplex est, una simplex, quæ concursum voluntatis prorsus excludit, altera qualificata, quæ voluntati suo modo eligendi arbitrium relinquit. Illa vocatur à Jurisconsultis vis, hæc metus *l. i. & 2. n. quod met. caus.* Vim & coactionem absolutam vietare & annullare matrimonium extrâ dubium est. Quod metum attinet, ille est reverentialis, vel justus. Reverentialis est obsequium reverentiae parentum debitum, à quo absunt verbera & minæ cum parata executione: & matrimonio contrahendo non obstat, *l. 22. n. b.* nisi filiam pater indignæ & turpi personæ copulaverit, *l. 12. n. de sponsal.* Quod si tali metui aliud quippiam porrò accesserit, verba scil. vel minæ, liberi, imprimis verò filiæ, in quibus minus est animi est judicii, de eo apud magistratum conqueri possunt, *arg. l. 18. C. b.* Licet enim alias per vim & metum gesta, ipso jure valeant, & rescissione Prætoris egeant *l. i. & t. t. quod met. caus.* speciale tamen in matrimonio est, quod non solum consensum simplicem & qualemcumque, sed & liberum requirit. Hinc matrimonia libera esse debere, vulgatissimum est DD. axioma. Quod si tam ex illius causa cessante consensus aut ultrœca copula secuta fuerit, metus iste purgatur, & matrimonium tanquam ex novo consensu convalescit. Non tamen si præcedat concubitus seu copula, & deprehensor cum puella juvene subsequatur metus, tanquam à metum patiente causatus *l. 7. §. i. quod met. caus.* nisi metus forte levior sit & cum præsenti periculo non conjunctus, quo utique casu matrimonium tenet.

X X I.

Ait Imp. in §. i. Inst. b. Ergo non omnes nobis uxores ducere licet: nam à quarundam nupiis abstinendum est, putat & inteligit

ligit necessitudinem ibi ; Verum hæc & multa alia h. t. præream, sed tamen hanc rem aliquando (Deo volente & occasione oblatâ) quodammodo perfectius explanabo. Prohibentur porrò lege (1.) ob statum, scil. servi, quorum uxores, non conjuges sed contuberniales *Jur. Rom.* dicuntur, *l. ult. §. 1. de gradib. & affin.* item peregrini in *Rep. Roman.* *pr. Inst. b. l. 3. C. de incest. & inutil. nupt.* Ob infidelitatem matrimonium cum Judæis interdicitur *l. 6. Cod. Jud. & cœlic.* (3.) respectu dignitatis publicæ prohibebantur senatores & alii dignitate conspicuū ducere humiles & objectas fæminas : Et ex diverso viri humiles verabantur ducere uxores nobiliores *l. 16. pr. l. 23. l. 27. l. 34. §. ult. & seqq. b.* Novissimo autem jure digniori humilem ducere non interdicitur & bene sic id mutatum & spes data nobis in *l. 23. C. b. Nov. 51. 78. cap. 3.* Ita & hodiè subsistit matrimonium nobilium cum plebejis : ac mulier plebeja si nubat viro nobili, hujus nobilitatem participat. (4.) Publicæ utilitatis causâ & intuitu prohibentur, qui provinciis præsunt, jungi provincialibus. (5.) pudicitiae tuende gratiâ prohibitum cum eo eave, qui quævè adulterii damnatus damnatavè est; quod quodammodo correctum est *Nov. 22. cap. 18.* Moribus quoque nostris regulariter non prohibetur quis in uxorem ducere, quam per adulterium polluit ; præstat tamen ab illo abstinere. Similiter etiam raptoris cum rapta interdictum erat matrimonium, quod mutatum : Non verò interdicitur rectè clericis & Ecclesiæ ministris matrimonium, *vid. 1. Cor. 7. v. 2. 1. Tim. 3. v. 2. & 12. Tim. 4. v. 3.* Non etiam prohibitum est inter diversæ religionis homines : licet regulariter melius sit ejusdem religionis homines matrimonio jungi ; & ne quidem sponsalia idèo sunt dissolvenda.

X X I I.

Ex legitimo conjugio oritur jus personarum inter conjuges, quod est mutuum , & consistit (1.) in mutuo amore ac perpetua vita consuetudine (2.) in exhibitione debiti conjugalis , & liberorum procreatione (3.) in aliquali bonorum communione. Vel alterutri conjugi proprium : & quidem marito propria est maritalis potestas *l. 14. π. solut. matrim. Nov. 117. cap. 1. 2. 3.* Tenetur verò uxorem alere eamque defendere *l. 2. π. de injur.* jura propria respectu uxoris consistunt in convenienti subjectione, unde fluit (1.) quod debeat marito obsequium *l. 1. §. 7. C. de rei uxori act. & operas obsequiales & coeconomiae curam arg. l. 31. pr. 1. π. de donat. int. vir. & uxor.* (2.) quod gaudent nobilitate & digni-

56 DISPUTATIO JURIDICA, &c.
& dignitate mariti, l. 13. C. de dignit. l. 8. de senat. l. 10. C. b. Ejusque participet forum l. 65. de Judic. & mutantem domicilium sequi teneatur.

X X I I I.

Matrimonium morte dissolvi constat. Inter vivos autem dissolviter matrimonium, vel quoad vinculum, uti loquuntur, vel quoad mensam & thorum. Utraquè autem haud temere, & non nisi à judice competente, causâ cognitâ, fit separatio. Illa nimirum quoad vinculum nimirum conceditur (1.) ob adulterium alterius conjugis (2.) ob malitiosam desertionem, instituto tamen super desertione consueto processu. Porrò (3.) etiam dissolvuntur nuptiæ, si jam ante nuptias alterutra conjux, impotens fuerit, vel contagioso morbo vel futore laboraverit, & hujusmodi vitium post celebratas nuptias apparuerit. Præterea (4.) dissolvuntur nuptiæ, si appareat sponsam ab alio jam cognitam. Si nimirum tentata reconciliatione sponsus, sponsæ condonare nolit; *sed de hisce vid. præced.* Atque hisce casibus parti innocentia alias nuptias celebrare permittitur. Aliquando etiam parti nocenti, sed rariùs & non nisi certis conditionibus novæ conceduntur nuptiæ. Posteriori modo, sive quoad thorum & mensam, in Consistoriis dissolvitur matrimonium ob nimiam fævitiam, modo altera persona conjugata alio modo tuta esse nequeat. Nihilominus maritus alimenta debet suppeditare uxori: nisi bona illata ad alimentationem sufficientia ipsi restituerit.

X X I V.

Coronidis loco questionem proponam an nuptiæ secundæ, uti vocantur, sint licitæ? In affirmantium castra transcendo; quicquid etiam in contrarium regerit Pontifex. Non sunt ergo prohibitæ secundæ nuptiæ, modo non sint nimis maturæ & festinatae: Debet enim moribus nostræ regionis, vidua annum expectare, usque dum secundo nubit. Viduo verò conceditur aliquando, ut post lapsum semestris secundas nuptias celebret. Porrò si ex priori matrimonio liberi extent, his bona defuncti patris matrisvè ceu successio in illis debetur: adeoquè si impuberes minoresvè, tutores vel curatoris ipsis sunt constituendi: plurimis etiam in locis prudenter statutum est, ne conjux secundas nuptias ineat, nisi prius prioribus liberis satisfecerit. Licitæ quoque sunt secundæ nuptiæ, quamvis uxor promiserit priori marito, quod non velit denuò nubere.

*Hic igitur nostram teneat jaeta anchora puppim
Sitque honor Æterno, qui regit astra Deo.*